




BX837


.M4

I3

1896-97



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis




UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



E
HEM



ACTA ET DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS

GUADALAXARENSIS PRIMI

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Iglesia Católica


ACTA ET DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS

GUADALAXARENSIS PRIMI

ANNIS DOMINI MDCCCXCVI ET MDCCCXCVII

GUADALAXARAE CELEBRATI



U A N I L



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS Y SERVICIOS DE INVESTIGACIÓN

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Tellez
ROMAE


TYPIS VATICANIS

MCMV



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

42764



APPROBATIO APOSTOLICA
CONCILII GUADALAXARENSIS PRIMI

Perillustris ac Rm̄e Domine,

Ad manus Amplitudinis Tuae mittuntur Acta et Decreta Provincialis Concilii Guadalaxarensis, annis 1896 et 1897 habiti, a cuius tamen revisione Sacra Concilii Congregatio tunc temporis abstinendum censuit, eo quod iam in dies imminebat plenarii totius Americae Latinae Concilii celebratio.

Nunc vero cum Eñus Cardinalis Vives y Tuto Acta et Decreta ipsa examinaverit, iuxta votum eiusdem Eñi Viri, approbante Sanctitate Sua, Sacra Congregatio Concilii permittit, ut Provinciale hoc Concilium publicetur ad ipsius Provinciae decorem et utilitatem, praevis tamen nonnullis emendationibus ab eodem Eño Viro Cardinali Vives y Tuto propositis et sub expressa ac taxativa conditione, ut omnes et singulae dispositiones Concilii Plenarii praevaleant super quodlibet Provincialis Synodi decretum, et in dubiis standum potius sit menti, spiritui et litterae Plenarii Concilii, quam Provincialis.


Quod dum Tibi notum facio, simul omnia fausta Amplitudini Tuae et Rñis Episcopis Suffraganeis Tuis toto corde a Domino precor.

Amplitudinis Tuae Rñae

Romae, die 23 Decembris 1905.

✠ VINCENTIUS Card. Ep. Praenestinus,
Praefectus.

C. DE LAI, *Secretarius.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DECRETUM

PROMULGATIONIS CONCILII GUADALAXARENSIS PRIMI

NOS IOSEPHUS A IESU ORTIZ, DEI ET APOSTOLICAE SEDIS
GRATIA METROPOLITA TOTIUS PROVINCIAE GUADALAXARENSIS.

*Reverendissimis Fratribus Episcopis, Capitulis quum
Metropolitano tum Cathedralibus, Clero universo et Po-
pulo huius Guadalaxarensis Provinciae Ecclesiasticae,
salutem in Domino.*

Decessor Noster Petrus Loza, qui una cum suis
Rm̄is Episcopis Suffraganeis anno 1897 primum Pro-
vinciale Guadalaxarensis Concilium conclusit, in votis
habebat ut Apostolica Sedes Acta et Decreta eiusdem,
Suprema adprobatione Sua, quamprimum firmaret. Eum
tamen mors abripuit et ad caelestia praemia vocavit
prius quam expetita adprobatio haberetur. Quae qui-
dem ad hos usque dies eo fuit dilata, ut interim quae
Concilium Plenarium Latinum statuerat, in praxim de-
ducerentur. Nobis igitur concessit Deus, ut laborum
Decessoris Nostri aliorumque Patrum Concilii Provin-
cialis colligeremus fructus. Sacra enim Congregatio,
quae Tridentinis interpretandis Decretis Romae praeest,
Nobis commisit, ut Acta et Decreta Guadalaxarensis
illius Concilii, ad ipsius Provinciae Nostrae decorem
et utilitatem, rite promulgaremus.

Quod quidem Auctoritate Nostra Metropolitana
solemniter peragimus, ad tramitem Decreti Sacrae eius-

dem Congregationis d. d. 23 Decembris superioris anni. Omnia igitur et singula Decreta Concilii Provincialis Guadalaxarensis Primi, ab Apostolica sede recognita et emendata, prouti extant in hoc exemplari typis Vaticanis cuso, publicamus et promulgamus eaque pro rite publicatis et promulgatis mandamus haberi, sub expressa tamen ac taxativa conditione, ut omnes et singulae dispositiones Concilii Plenarii praevaleant super quodlibet Provincialis Synodi decretum, et in dubiis standum potius sit menti, spiritui et litterae Plenarii Concilii, quam Provincialis.

Datum Guadalaxarae die 1 mensis Ianuarii 1906.

✠ IOSEPHUS A IESU ORTIZ
Archiepiscopus Guadalaxarensis.

ACTA CONCLUSIONIS CONCILII

DECRETUM I.

De huius Concilii Decretorum subscriptione.

Nos Petrus Loza, Dei et Apostolicae Sedis gratia, Archiepiscopus Guadalaxarensis:

Admonemus Reverendissimos Patres omnes, qui huic Provinciali Concilio iure intersunt et interfuerunt, ut, post Nos, singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, ut iis, quae in hac Synodo decreta sunt, subscribant.

Nos Petrus Loza, Archiepiscopus Guadalaxarensis, omnibus et singulis huius Nostri Provincialis Concilii Decretis subscripsimus, die 3 Maii 1897.

† PETRUS, Archiepiscopus Guadalaxarensis.

† ATHENOGENES, Episcopus Colimensis.

† IGNATIUS, Episcopus Tepicensis.

FR. THEOPHILUS G. SANCHO, Procurator Ill^mi
Episcopi de Zacatecas.

DECRETUM II.

De conclusione Synodi.

Nos Petrus Loza, Dei et Apostolicae Sedis gratia, Archiepiscopus Guadalaxarensis.

Cum Primi Nostri Concilii Provincialis Guadalaxarensis, Deo adiuvente, optatam metam attigerimus, illud proinde cum gratiarum Deo actionibus finiendum esse decernimus et finitum declaramus.

DECRETUM III.

De Promulgatione Decretorum.

Nos Petrus Loza, Dei et Apostolicae Sedis gratia, Archiepiscopus Guadalaxarensis.

Decreta huius Synodi Provincialis nemo prelo subiiciat aut promulget, antequam Sanctae Sedi Apostolicae, iuxta Constitutionem Sixti V quae incipit « *Immensa* », subiecta fuerint. Litteris autem revisionis et recognitionis a S. Congregatione Concilii, obtentis, statim imprimantur, impressaque, quamprimum promulgabuntur.

DECRETUM IV.

De dubiorum solutione.

Nos Petrus Loza, Dei et Apostolicae Sedis gratia, Archiepiscopus Guadalaxarensis.

De consensu RR. Episcoporum nostrorum Comprovincialium, statuimus: ut si forte dubium aliquod emerit circa intelligentiam vel sensum huius Nostri Concilii Decretorum, vel etiam occurrerit gravis quaedam difficultas quoad eorundem observantiam et executionem, Episcopi consulant Metropolitanam et eius iudicio acquiescant, usque ad celebrationem sequentis Concilii, salva Sanctae Sedis auctoritate.

DECRETUM V.

De Concilii III Mexicani derogatione.

Cum iuxta litteras f. r. Sixti PP. V, die 28 Oct. anni 1589, Concilium III Mexicanum in vigore esset permansurum inter nos, tantum usque ad celebrationem alterius Concilii Provincialis, casus evenit declarandi, ut declaramus, Concilium tertium laudatum derogatum esse in hac nostra Provincia, exceptis Statutis Cathedralium, dum reformentur, ut nunc expedit, vel novaificentur, et etiam exceptis praescriptionibus ex illo desumptis et in hoc Primo Nostro Concilio insertis. In ceteris quae in hoc non continentur, haec Provincia erit subiicienda iuri communi ac suis legitimis privilegiis.

DECRETUM VI.

De omnimoda subiectione Concilii S. Sedis iudicio.

Nunc vero, quoniam, Deo afflante, ad exitum feliciter duximus hoc Nostrum Primum Provinciale Concilium, restat, ut pro filiali erga Sanctam Apostolicam Sedem reverentia promptaque obedientia, omnia quae unanimi consensu confecta sunt Decreta in memorabili Synodo Guadalaxarensi, Ipsae Sanctae Sedi, veritatis infallibilis Magistrae, iudicio et arbitrio subiiciant Metropolitanus et ceteri Comprovinciales Episcopi, sicuti libentissime et humillime subiiciunt, se profitentes esse paratos quidquid Summo et dilectissimo Pontifici Romanae Ecclesiae de iis decernere placuerit, ultro acceptare.

Datis die 3 Maii 1897.

† PETRUS, Archiepiscopus Guadalaxarensis.

Florentius Parga
a Secretis.

DE CONSECRATIONE

TOTIUS PROVINCIAE GUADALAXARENSIS
CORDI DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI SACRATISSIMO

DECRETUM ET FORMULA.

Ut digno salutarique modo Concilium Nostrum suis laboribus finem ponat, una voce decernimus totam hanc Provinciam Guadalaxarensis Sacratissimo Cordi Iesu consecrandam.

Et ideo unanimiter, ex intimis visceribus sequentem formulam adoptamus et profiteamur:

« O Cor amantissimum Domini Iesu, Pastoris Boni, Summi Aeternique Pontificis, in quo omnes aeternae charitatis thesauri nobis revelati sunt: en coram Te

humiliter simul ac confidenter adsumus, vehementi accensi desiderio tuam maiorem procurandi gloriam, omnesque tibi illatas reparandi iniurias. Idcirco Nos nostrarque omnia, Dioeceses nostras, universum clerum cum omni populo sollicitudini nostrae commissum, Tibi offerimus, dicamus et consecramus, ut ex illo gratiarum fonte omnes indesinenter hauriamus, gustantes et videntes omnibus diebus vitae nostrae quoniam suavis est Dominus, praesertim iis qui ad Te pertinent.


« *Serva*, enixe precamur tuam misericordiam, *serva* incolumes et in dilectione tua perseverantes quos ad gregis tui custodiam destinasti; *salvum* fac populum tuum, Tibi specialiter consecratum, et *benedic* haereditati tuae. *Confirma* per gratiam tuam quod operatus es in nobis, ut hoc Concilium quod Te inspirante celebravimus, ad Omnipotentis Dei honorem, Ecclesiae decus animarumque salutem proficiat et in perpetuum nostrae erga Cor dulcissimum tuum devotionis et amoris indefessi monumentum existat.

« *Adsis* etiam, o *Beatissima* Mater Mexicanorum, sub titulo de Guadalupe; tibi quoque dicatam volumus Provinciam Guadalaxarensis; in hanc dominare, huic faveas, et ad perfectum Divini Filii tui cultum hanc perducas. Amen ».

DECRETA CONCILII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



DECRETA CONCILII

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS
PATRIS, ET FILII ET SPIRITUS SANCTI
AMEN.

PRIMA Synodus Provincialis Guadalaxarensis, ad Sacrorum Canonum statuta, praecipue Tridentini et Vaticani Oecumenicorum Conciliorum Decreta, melius observandum; ad Provincialis Mexicanae Synodi Tertiae adhuc vigentes dispositiones hodiernis adiunctis accommodandas; ad Fidei Catholicae tutamen ac propagationem; ad Cultus Divini augmentum; ad Cleri et Populi reformationem; ad communem denique Guadalaxarensis Provinciae, 34 annis abhinc a Pio IX f. m. Summo Pontifice creatae, in spiritualibus ac temporalibus utilitatem; hac in urbe Guadalaxara, quae Metropolis est ipsiusmet nominis Provinciae, rite et canonice congregata:

Praeside *Illmo ac Rmo Metropolitano, D. D. Petro Loza et Pardavé*, Dei et Sedis Apostolicae Gratia, secundo Archiepiscopo Guadalaxarensi et

Suffraganeis adstantibus, Rnis eiusdem Provinciae Episcopis, scilicet:

Illmo D. D. Fratrem Bonaventura Portillo ac Tejada, Episcopo Zacatecensi, sive per se, sive per eiusdem Procuratorem Dom. Frat. Theophilum G. Sancho;

Illmo D. D. D. Athenogene Silva, Episcopo Colimense; atque

Illmo D. D. D. Ignatio Diaz, Episcopo Tepicensi;

Deo O. M. iuvante, ac B. V. Maria sub titulo de Guadalupe, Nationis nostra Duce et carissima Primaria Patrona, atque in sua gloriosissima Assumptione huius Ecclesiae Alma Titulari; Sancto Michaeli Archangelo, Dei Ecclesiae Custode ac Metropoleos huius Patrono Primario; B. Iosepho, Virginis Virginum Sponso atque Ecclesiae Catholicae Universali Patrono ac Principali nostrae Mexicanae Gentis; Sanctis Apostolis Ecclesiae Principibus, Petro et Paulo; Sancta Rosa Limana et Sanctis et Beatis Americae; Sancto Philippo a Iesu et ceteris Mexici Coelitibus; nostrarumque Dioeceseon Patronis Sanctis faventibus:

Quae postea sequentur statuit, sancit atque decernit, vota nuncupans, ut ab omnibus ad quos pertinet, iuvante Dei gratia, fideliter constanterque serventur.

Nobis equidem visum est Nostra in Synodo quaedam de *Dogmate*, de *Moribus*, de *Iure*, ac de *Disciplina* ferre Decreta, aperientibus hodie Conciliorum Provincialium Urbis nostrae Metropolitanae seriem: quapropter quatuor in Partes ordinationes Nostras conciliares dividere volumus rebus memoratis respondentibus.

Quamvis autem praedicto in ordine *Partes* quatuor essent distribuendae, attamen, ex eo quod fere tota nostra Synodus formam disciplinarem induere debeat; et ex eo quod etiam *Pars* de *Disciplina* tractans, magis stricte conspecta, tum ex copia tum etiam praestantia rerum, illam superet quae circa *Ius*, in his quae in praesentiarum attingere desideramus, versatur; logicum

ordinem hac in vice deserentes, materiam cunctam Concilii Nostri quatuor in *Partes* dividimus sequentes:

Pars 1.^a De Dogmate.


Pars 2.^a De Moribus.

Pars 3.^a De Disciplina.

Pars 4.^a De Iudiciis.

Quae partes, prout necesse fuerit, in Sectiones, Titulos, Capita, Paragraphos, etc. dividuntur.

Verumtamen, cum Synodi Provincialis de moribus moderandis, controversiis componendis, excessibus corrigendis, virtutibus fovendis, ecclesiastica disciplina tractanda, aliisque similibus rei ecclesiasticae necessitatibus reparandis, quoad praxim praesertim decernere obiectum sit; cumque praesens Concilium pro scopo habeat, non omnia quae necessaria aut utilia sunt attingere, sed quaedam declarare et docere, quaedam vero statuere aut statuenda praeparare, et exordium instituere Decretorum quae in subsecuturis Provincialibus Conciliis, Deo favente, opportune ferenda iudicabuntur; quatuor in Partibus laudatis, urgentioribus providere curabimus, et errorum germina praefocare, disciplinamque promovere ecclesiasticam, atque Sacramentorum piae legitimaque administrationi invigilare, prout opportune suis locis dicetur.



PARS I. DE DOGMATE

1. In hac parte prae oculis habentes duas praesertim a Concilio Vaticano dogmaticas Constitutiones editas, Constitutionem nempe *Dei Filius*, de *Fide Catholica* agentem, et Constitutionem *Pastor Aeternus*, quae de *Ecclesia Christi* loquitur; volumus, tum de *Fide Catholica*, tum de *Ecclesia Christi* aliquid ad memoriam revocare. Pars igitur prima Synodi nostratis duas complectitur *Sectiones*, vestigia ipsius Vaticanae Synodi hoc modo sequuta, quarum prima de *Fide Catholica*, secunda de *Ecclesia Christi* tractabit.

SECTIO I. DE FIDE CATHOLICA

2. Cum fides initium sit ac salutis fundamentum; sine fide enim impossibile est placere Deo; et inter omnia pastoralis muneris officia illud primum ac potissimum esse debeat, ut Catholica Fides, quam Sancta Romana Ecclesia docet ac tenet, incorrupta, in hac Provincia, semper vigeat ac floreat, in hac nostra Synodo Provinciali hinc exordiri optimum esse duximus.

3. Cum vero iam Synodus cuncta, in viarum suarum initio, iuxta Ecclesiae praescriptionem hodiernam, Catholicae Fidei professionem palam et publice emi-

sisset; cumque Guadalaxarensis huius Concilii tantum sit, Catholica de Fide practicas atque disciplinares aliquas dispositiones praesertim decernere; hic solum generatim memores erimus de Ecclesiae decisionibus ad hanc rem spectantibus, ut statim de iis, quae ad fidei professionem, conservationem atque ampliationem inter nos attinent, moremur.

Quapropter et ante omnia, Conciliorum Oecumenicorum et Summorum Pontificum Decretis et auctoritate suffulti, maxime vero v. m. Pii IX et Sanctissimi Papae nostri Leonis XIII vestigiis inhaerentes, ac praecipue declarationes Concilii Oecumenici Vaticani circa Fidem Catholicam in Constitutione *Dei Filius* animo recolentes; cuncta illa quae de Fide Catholica Ecclesia docet, palam hic enixe toto corde proclamamus, et aetatis nostrae praecipuos errores huic Fidei contradicentes profligare atque damnare volumus.

4. Atheismum igitur, Positivismum, Rationalismum, Naturalismum, Socialismum, Communismum, Nihilismum, Anarchismum, Indifferentismum, Liberalismum et Societates Secretas, speciatim Massonum sectam, pestiferam aciem Castrorum Liberalismi diabolice ordinatam, cum Ecclesia profligantes, damnatos etiam praedicamus errores non solum hactenus recensitos, sed etiam quoscumque in Apostolico Documento Syllabi f. r. Pii IX proscriptos et caeteros omnes qui ab ipso Pio IX et ab actuali Pontifice Leone XIII gloriose regnante hucusque confossi sunt, et quorum in praecedentibus mentio facta non est.

His autem praemissis, ad ea quae nunc Decreta sancire intendimus ad Fidei nostrae robur atque tutamen, veniamus. Haec erunt: I. De Fidei professione: II. De Fidei conservatione: III. De Fidei ampliatione.

TITULUS I.

DE FIDEI PROFESSIONE

5. Cum scriptum sit: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei; duo praecepta a Domino Nostro Iesu Christo clare intimantur: primum de Fide palam profitenda, alterum de Fide nunquam neganda. Quapropter sequentia prae oculis habeantur oportet.

6. In nullo casu, etiam vitandae mortis, licet fidem, corde retentam, ore vel facto negare, falsamve exterius profiteri, seu simulare. Nunquam ergo licet subscribere formulae servandi ea quae fidei catholicae adversantur, etiamsi subscribens interius dicat, se nolle a Fide deficere.

7. Publica Fidei professio urget nos quoties, nisi eam profiteamur, honor Deo debitus, vel spiritualis proximi necessitas, caperet detrimentum, praesertim si ab auctoritate civilem habente interrogemur. Censetur autem substrahi honor Deo debitus, ex defectu huius professionis, quando, illa omissa, Deus magna afficitur iniuria, vel debito honore privatur. Similiter spiritualis proximi necessitas exigit fidei professionem, quando, illa omissa, proximus vel a fide averteretur, vel ab ea amplectenda impediretur.

8. Synodi Tridentinae decreto et iuri Provinciae Nostrae, vel a positiva lege, vel a consuetudine legitima inducto et congruentiae, hac de re, obsequi cupientes, decernimus ac iubemus fidem profiteri debere coram proprio Episcopo seu eius Vicario Generali, vel

alio specialiter et canonice deputando, et iuxta formulam a Pio IV editam in Constit. *Iniunctum nobis* cum additionibus a Pio IX praescriptis per Sacrae Concilii Congregationis decret. diei 20 Ianuar. 1877, addita etiam parte illa quae speciatim refertur ad B. M. Virginis Conceptionem, omnes infra adnumerandos. Hi autem erunt:

a) Omnes qui ex iure vel consuetudine Synodo Provinciali vel Dioecesanæ intersint.

b) Vicarii Generales, Provisores et Ordinariorum Cancellarii.

c) Vicarii Foranei constituti.

d) Omnes qui in Cathedralibus Ecclesiis, Dignitatem, Canonatum aut Beneficium residentiale obtinuerint.

e) Parochi.

f) Examinatores Synodales.

g) Seminarii Moderatores.

h) Omnes qui gradum aliquem in Academia vel Universitate Pontificia obtinuerint.

i) Quicumque sive clericus, sive laicus, qui in Seminariis Maioribus et Minoribus, Institutis, Collegiis aut Parochialibus Scholis, et etiam aliis per legitimam obedientiam ecclesiasticae iurisdictioni subiectis, etiamsi in illis rudimenta tantum pueri vel puellae doceantur, sacras vel humanas litteras munus docendi susceperint: pro ludimagistris formula brevi fidei adhibita et vernaculo idiomate expressa.

j) Omnes qui ex apostasia vel ab haeresi ad Ecclesiam veniunt, adhibita tamen speciali abiurationis formula.

9. Dignitates, Canonatus, Praebendas obtinentes, aut provisi quibuscumque beneficiis curam animarum

adnexam habentibus, teneantur, a die possessionis, ad summum intra duos menses, per seipsum fidei professionem emittere; quod si neglexerint, poenis a iure praescriptis, vel aliis ab Ordinario impositis, subiiciantur.

10. Praecipiant Episcopi omnibus curam animarum habentibus et exhortentur divini verbi praecones ut frequenter in concionibus et catechesibus instruant Christi fideles de magna fidei praestantia, natura, et necessitate ad salutem; et magnum Dei beneficium semper aestimandum esse, quod sola bonitate ipsius ad admirabile lumen suum nos vocare dignatus est, illis patefaciant. Hoc potissimum tempore, dum tot erroribus ac blasphemis Divina Maiestas procaciter ab impiis offenditur, moneantur fideles de publica fidei professione.

11. Mandamus ut omnibus festis diebus, in Missa Parochiali, post Evangelium, aut in Missis etiam privatis, ubi maior fuerit populi concursus, ad Parochi iudicium, et etiam in Ecclesiis exemptis et Oratoriis Communitatum, vel ante vel post catechismum, aut post Sanctissimi Rosarii recitationem, publice in Ecclesiis faciendam, clare ac distincte a Parochis vel aliis sacerdotibus recitentur, sub una formula communi, actus fidei, spei, caritatis et contritionis, ita ut ab universo populo alternatim repetantur.

12. Summopere oportet ut in publicis orationibus fideles una cum clero agant identidem Deo gratias pro inaestimabili Catholicae Religionis beneficio, quod ipsis omnibus clementissime donavit, atque ab eodem misericordiarum Patre suppliciter petant, ut eiusdem Religionis professionem in regionibus nostris tueri, et inviolatam conservare dignetur.

13. Hoc votum adimplere cupientes, decernimus, ut in hac nostra Provincia, ultima cuiuslibet anni die

specialiter gratiae agantur Deo pro universis beneficiis collatis, et in primis pro dono fidei, et supplicationes fiant pro iuge eiusdem in Regione nostra conservatione.

TITULUS II.

DE FIDEI CONSERVATIONE

14. Obtenta fide propter gratiam Dei, eam servandi media adhibere nostrum est, adiuvante ipsa divina gratia; in edoctis nimirum Ecclesiae docilitatem, in eius mandatis obedientiam, in monitis venerationem et humilitatem et subiectionem colentes. Et quoniam « qui non credit iam iudicatus est »¹, ovium Christi Rectores solliciti semper extiterunt in arcendis fidelibus a discrimine fidem refrigescendi vel amittendi, iam pericula detegendo multiplicitate instructione, iam monendo, iam praecipiendo, iam denique errores prohibendo et profligando. Non aliter haec Synodus ad servandam fidem statuit ac mandat quae sequentibus quatuor in capitibus habentur, quoad Editiones Litterarum et Artium, quoad laicas scholas et neutras, quoad Associationes prohibitas et periculosas et communicationem cum acatholicis et quoad Superstitiones.

CAPUT I.

Quoad Editiones Litterarum et Artium.

15. Libros in Romano Indice nominatim prohibitos legere, retinere, imprimere, locare, commodare, legentem sponte audire et quomodolibet defendere, nemini

¹ Ioan. III. 18.

liceat; atque idem dicatur de iis non ibi ita expresse, sed sub regulis normisque generalibus prohibitis¹.

16. Legere etiam et retinere non licet libros sub multiplici forma editos, qui in lingua nostra nuncupari solent, *Novelas, Leyendas, Cantares*, turpiter de personis ac de rebus sacris tractantes, fabulas indignas narrantes circa Pontificum et Sanctorum vitam, historiam depravantes, passiones excitantes, Religionem et pietatem deridentes et in iocum verba Sacrae Scripturae torquentes.

17. Ephemerides anticatholicas, nec pretextu utilitatis inde supervenientis ex rebus religionem non spectantibus, legere licet aut fovere.

18. In omnibus scriptis quae de rebus ordinis pure naturalis tractant, sicut Geologia, Historia Naturalis, Astronomia, Chimia etc., prae oculis semper habeatur haec damnata propositio: « Philosophia tractanda est nulla supernaturalis revelationis habita ratione »².

19. Eadem prohibitio viget de picturis, sculpturis, caelaturis et aliis artium manifestationibus inhonestis, quibus Religio irrideatur vel libidines foveantur; quin ab hac regula exclusae iudicentur quaecumque aliae sanctorum imagines aut sculpturae quae non in Ecclesia consuetae sint; vel si consuetae, in loco profano vel in re familiari usui destinata irreverenter ponantur.

20. Diligenter curent patresfamilias ne filii et alii sibi subiecti spectacula immoralia, quaecumque sint in modo, sive Drama, sive Melodrama, sive Quadrum Plasticum, quae in scenis repraesententur, adeant,

¹ Videatur potissimum hac in re Constitutio Pii IX *Apostolicae Sedis*, tum Const. *Officiorum ac munerum* a SSmo Pontifice Leone XIII nuper promulgata.

² Syllabus, XIV.

quia periculosa sunt, non tantum moribus, sed etiam fidei.

21. Vicarii Foranei, Parochi et caeteri Sacerdotes super his omnibus invigilent, et opportune publice et privatim moneant fideles. Oportet etiam ut habeant indicem Librorum Prohibitorum et Constitutionem Officiorum Leonis XIII: et si in locis suae curae commissis falsae doctrinae seminatores apparuerint, aut libri perversi et periculosi editi fuerint, id deferre ad Ordinarium non omittant.

CAPUT II.

Quoad Laicas Scholas et Neutras.

22. Quoniam educatio, quae sine christianae doctrinae morumque disciplinae auxilio teneras puerorum vel adolescentium mentes eorumque in vitium flexibilia corda, informat, parat progeniem quae pravis cupiditatibus propriisque rationibus tantum permota et impulsa, maximas, tam familiis quam Reipublicae affert calamitates; proinde parentes filios suos in scholam laicam vel neutram tenentur non ducere. Si vero ad titulum professionis obtinendum eas ingrediendi necessitas urgeat, aut aliae causae iustae occurrant, nonnisi servatis instructionibus S. Sedis, de licentia Ordinarii et praehabito Confessarii consilio, id liceat.

23. Quando his in scholis auctoris alicuius liber prohibitus adhibetur, quod non raro evenit, opus est Ordinarium consulere, et ab eo provisum accurate implere.

24. Denique, ut perspicuum est, parentes, nunquam nulloque pretextu possunt pueros suos, vel alios sibi subiectos, ad haereticas scholas mittere.

CAPUT III.

Quoad Associationes Prohibitās et Periculosas et Communicationem cum acatholicis.

25. Patres huius Concilii Guadalaxarensis, memores horum verborum Clementis XII in Bulla *In eminenti*: « Quocirca, omnibus et singulis Christi fidelibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis pretextu aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictas societates (*de francmasones*) aut alias nuncupatas inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus vel domibus seu alibi receptare atque occultare, iis adscribi, aggregari aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium vel favorem palam aut in occulto, directe vel indirecte, per se vel per alios quoquomodo praestare, necnon alios hortari, inducere aut suadere, ut huiusmodi societatibus adscribantur, annumerentur seu intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, coetibus, conventibus, collectionibus, aggregationibus seu conventiculis prorsus abstinere se debeant »; ac prae oculis etiam habentes quae in Encyclica « *Humanum genus* » Leo Papa XIII decernere dignatus est: declarant:

26. Societatibus secretis anticatholicis, quaecumque sint earum denominationes, prorsus adscribi non licet, neque iis societatibus minime secretis nomen dare quae honestum finem ac cognitum non profiteantur, vel quae causa indifferentiae religiosae ab actibus religionis se abstineant.

27. Quamquam iure naturae societas, non solum sit consentanea, sed etiam ex eiusdem principiis originem ducat; attamen ab ipso iure finis eius determinatur. Unde nimia amicitia et nimia familiaritas cum haereticis, schismaticis, impiis, aut quibuscumque aliis infectis prohibita sunt; sed si, caeteris paribus, aliqua occurrat necessitas adeundi illos vel cum ipsis cohabitandi, in mente habeatur hoc principium ab omnibus receptum: « In divinis nunquam licet communicare; in civilibus aliquando ». Quoniam Apostolus rectissime ait: « Corruptunt mores bonos colloquia mala »¹.

28. Illiterati Christi fideles, disputationes religiosas non facile sustineant nec foveant; sed tantum, coram illis qui suscitent eas, consultum erit ut confiteantur fidem in revelatis a Deo et ab Ecclesia edoctis. Haec erit melior propugnatio. Et ante omnia non oblivioni tradatur quod fidem negare vel de ea verecundari nunquam licet; scriptum est enim: « Nam qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet »².

CAPUT IV.

Quoad Superstitiones.

29. Magna committitur offensa contra Deum, in quo totius nostrae miseriae extat remedium, quique Omnipotens est et summe sapiens, si sortilegi, magi, malefici ariolivi consulantur, ab eisque futuri inquirantur eventus. Quae res acerrime in Sacra Scriptura reprehenditur et divina lege prohibetur. Et quoniam Sanctus Thomas superstitionem definiens dicit: « Vitium est religioni oppositum secundum excessum, non quia plus

¹ I. Cor. XV, 33.

² Luc. IX, 26.

exhibeat in cultum divinum quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet»; haec Synodus ad memoriam fidelium sequentia revocat, atque cum universa Ecclesia declarat:

30. Illicitum et superstitiosum est daemonia vel idola adorare, aut etiam cultum ab Ecclesia non probatum Deo, Angelis et Sanctis tribuere.

31. Similiter illicitum ac superstitiosum est cultum intendendo, de rebus benedictis uti ad fines et usus ab Ecclesia minime statutos, exempli gratia: oleo, cereis, incenso, lignis, etc., etc.

32. In eodem casu considerari debent inclusae nonnullorum actiones, uti sunt: accendendi lampades nigri coloris, sanguine animalium aspergendi agros pro segete bona consequenda, etc., etc.

33. Vere etiam superstitiosum est et illicitum religionis actibus uti ad finem inhonestum vel immoralem ordinatis.

34. Pactum inire cum daemone explicite vel implicite omnino illicitum esse nemo dubitat; ac proinde evocare idem sub quovis praetextu, damnatur.

35. Inquirere per somnia, vel per apparentia signa in quibuscumque corporibus, vel ex avium volatu, futura contingentia aut alias res supra rationem, etiam superstitiosum est et illicitum.

36. In hac materia, animo semper versentur Ecclesiae praescriptiones quoad effectus praeter naturales, quos tribuit quaedam simulata scientia Mesmerismo, Magnetismo, Spiritismo, et Hypnotismo, in quibus superstitiones non desunt.

37. Sacras imagines, reliquias aut obiecta benedicta secum deferre, quasdam formulas recitando, et cre-

dendo, his rebus adhibitis, exemptos nos esse ab omnibus periculis, et nostram salutem aeternam infallibiliter mereri, quin necessarium sit fugere a peccatis, nec bona opera facere, illicitum est ac superstitiosum.

38. Applicatio tandem principii aut elementi mere physici et materialis ad producendos effectus spirituales et supernaturales, tanquam mere physicos, est deceptio illicita et haereticalis.

TITULUS III.

DE FIDEI AMPLIATIONE

39. Sicut ii, qui de captivitate Babilonica ad terram Israel venerunt, ut muros Ierusalem reaedificarent, altera manu instrumenta fabrilia tenebant, et altera gladium, ut simul essent prompti ad pugnam atque ad opus restaurandum; ita nos, instauratores et vigiles murorum Civitatis Dei, christianos commissos nobis debemus protegere a periculis, quibus fides eorum exponitur propter insidias inimici, et simul adhibere media, quibus fides in eis foveatur et crescat.

40. Quatuor autem sunt ad hoc praecipua instrumenta efficaciter adhibenda, scilicet:

I. Praedicatio verbi divini ad fidelium omnium instructionem et infidelium conversionem et culturam.

II. Juventutis catholicae institutio in Scholis et Collegiis.

III. Unio et congregatio fidelium ad cultum divinum promovendum et ad bona opera exercenda.

IV. Cooperatio scriptorum catholicorum tum in libris tum in ephemeridibus. Horum autem omnium circa singula Synodo huic visum est mandare sequentia:

CAPUT I.

De verbi divini praedicatione.

41. Cum ad fidem roborandam et propagandam nihil magis conducat quam verbi divini frequens et opportuna praedicatio; nam « fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi », ut ait Apostolus ad Romanos ¹, et idcirco Salvator Noster, Apostolos suos mittens, dixit: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae ², docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » ³; et quoniam verbi divini praedicatio in praesentiarum magis necessaria evadit, cum variis et perniciosis opinionibus simplicium mentes miserabiliter depravare omni arte conantur inimici homines, qui « sectas non metuunt introducere blasphemantes ⁴, et solum Dominatorem et Dominum Nostrum Iesum Christum negantes » ⁵; Synodus nostra sequentia praecipere vult, de praedicatione quoad varias eiusdem species, videlicet: 1.º De praedicatione in genere ad populum: 2.º De catechesibus ad pueros et rudes: 3.º De concionibus: 4.º De Missionibus apud fideles excultos: 5.º De Missionibus apud Indos incultos.

¹ X, 17.

² Marc. XVI, 15.

³ Matth. XXVIII, 20.

⁴ II. Petr. II, 10.

⁵ Iud. 4.

§ I.

DE PRAEDICATIONE AD POPULUM IN GENERE.

42. Cum animarum curam habentium munus maximum sit praedicatio verbi divini, tum pro Episcopis, tum pro Parochis praesertim, ac demum pro caeteris concionatoribus, quoad hoc officium, decernimus haec:

43. De Episcoporum doctrinae cura, idem speciatim quod Mex. III Concilium praecepit, hic iterare volumus, scilicet: « Praecipua Episcoporum cura, in docendo populum Evangelium Dei sita esse debet, atque... ad eam rem maxime incumbant, oportet, ut Parochi et Ecclesiastici viri sua munera et ministeria in hoc adimpleant, quo subditi, praesertim rudes, salutari verbi Dei doctrina pascantur. Si vero (quod absit) praedicator errores aut scandala in populum disseminaverit, etiamsi Regularis sit, ei Episcopus, auctoritatem Concilii Tridentini sequutus, praedicationem interdicat »¹.

44. Haec vero Provincialis Synodus, auctoritate Concilii Tridentini et veterum Patrum innixa, Episcopos in Domino cohortatur, ut in hanc curam toto pectore incumbant, ac greges sibi commissos, ipsimet, praesertim in Ecclesia sua, verbo Dei pascant. Cum autem se interdum vere impeditos cognoverint, per viros idoneos ex praescripto eiusdem Concilii sibi eligendos hoc munus studiosissime populo praestent.

45. Parochi autem verbum Dei etiam per seipsos praedicent, similiter in hanc curam toto pectore incumbentes et memores sint quod pastores qui verbum

¹ Concil. Mex. III, Lib. III, Tit. I, Sect. III, § I.

illud populo subtrahunt, maledictionem Dei in se concitabunt, animasque fame conficient et periment: unde saepe minatur Dominus se sanguinem earum de manu ipsorum requisiturum.

46. Accurate exponent parochi doctrinam christianam et praesertim ea quae ad virtutes exercendas vel ad vitia vitanda magis expediunt; necnon ea quae summo opere excitant et fovent devotionem erga Sanctos, et potissimum amorem et cultum erga Beatissimam Virginem Mariam. Debent similiter iidem Parochi, verbis simplicibus et claris, exponere veritates fidei, vel perecurrere Dei mandata, Ecclesiae praecepta et exempla sanctorum.

47. Episcopi, ubi opportunum hoc iudicaverint, praecipiant ut in Missis quibus praeter parochialem, concursus populi magnus intersit, praedicatio brevis, et circa rem opportunam, non omittatur. Pergratum et Nobis erit si mos qui in aliquot ditionibus viget praedicandi in cunctis missis brevissimas conciones diebus festis per quinque vel ad summum decem minuta inter nos in usum adducatur.

48. Sacerdos quilibet, sive saecularis, sive regularis, qui in templo quocumque, extra parochialem oppidum, Dominicis et festis solemnibus Sacrum celebret, praedicet vel saltem legat brevem aliquam instructionem, per unius horae quadrantem. Ordinarii vero curabunt efficaciter ac prudenter adhibere media, ut haec tam necessaria praedicatio nunquam desit.

49. Tempore quadragesimali Parochi opportune faciant instructiones pro Sacramentis digne ac fructuose recipiendis; neque omittant pias meditationes proponere de Vita, de Passione et Morte Iesu Christi Domini Nostri.

50. Qui tam salutiferum ministerium adimplent attente considerare debent quae scripsit S. Isidorus Hispalensis: « Qui in erudiendis atque instituendis ad salutem populis praeerit, necesse ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccato arguit, ipse a peccatis debet esse alienus... quia si illius tantum sancta sit vita, sibi soli prodest sic vivens. Porro si et doctrina et sermone fuerit eruditus, potest caeteros quoque instruere et docere, suos adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint, atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere »¹: Similia praedicavit S. Chrysostomus.

51. Colligant etiam concionatores omnes quanti momenti sit diligens et accurata ad praedicandum praeparatio: cuius prima pars sit pia meditatio eorum quae dicturus est concionator, et fervidae ad Deum preces pro se et pro illis quos sit alloquuturus ut intelligenter, libenter et obedienter, audiatur ab eis, nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

52. Circa praedicationis materiam serio perpendentes quae Tridentina Synodus praedicanda praecipit, curent ut sacrarum concionum argumenta ea sint non quae admirationem excitent et eruditionis seu facundiae famam procurent, sed quae pro temporum, locorum, et audientium conditione magis necessaria sint et utilia, et quae ad veram perducant fidelium aedificationem. Omnia ergo fugiant concionatores quae excellentissimo evangelicae praedicationis obiecto minime congruere noscuntur. Opinionibus aut doctrinis mere philosophicis et politicis audientium mentes ne occupent: incerta, et quae specie

¹ S. Isid., Lib. II, De officiis.

falsi laborant, ne evulgent: inutiles vel difficiliiores quaestiones, quae captum superant plebis, ne attingant. Potior pars doctrinis detur, quae ad illuminandam mentem, et in opera audientium cor movendum inserviant, ne videantur ad absentes loqui, minime vero ad adstantes.

53. Caveant omnino ne verbum Dei ex proprio metiantur ingenio, sed sensum teneant et doceant, quem semper tenuit et docet Sancta Mater Ecclesia. In lectione Sacrae Scripturae versentur, in qua, juxta S. Augustinum, quisque inveniet omnia quae utiliter alibi didicit, et multo abundantius inveniet ea quae nusquam omnino alibi.

54. Ob oculos habeant, omni creaturae praedicandum esse Evangelium ideoque se sapientibus et insipientibus, doctis et indoctis debitores esse. Unde non in sublimitate sermonis; non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, susceptum ministerium adimplere satagant. Sermo igitur sit *facilis*, non tamen rudis et incompositus; sit *apertus* et *simplex*, non tamen ea gravitate et dignitate destitutus, quae decet semper eos qui Dei adiutores sunt, et pro Christo legatione funguntur. Minime vero improbamus, immo commendamus et volumus, ut pro re nata, etiam ornatiori utantur sermone, dummodo elocutio sit facilis et intelligibilis, atque non solum profanae vocem novitates devitentur, sed etiam adhibeantur locutiones quae fidelibus notae sint, ne pompam et cultum sermonis tantum quaerentes, et ampullosis verbis utentes simplicium captum effugientibus, non Christum sed seipsos praedicent, et aërem verberantes appareant.

55. Nec simplicitatem tantum, et facilitatem sermonis, a parochis praesertim, exigit Tridentinum Concilium, sed et breviter. Experientia enim compertum

est, prolixitatem creare fastidium, populusque per eam ab audiendo verbo Dei removeri. Brevis tamen cum sit sermo, quae dicuntur oportet elucere soliditate, perspicuitate, ordine, sobriaque varietate, quo animos excitent intentosque teneant.

56. Haec ad ministros Dei ut fideliter et utiliter adimpleant ministerium suum: nunc autem fideles alloquentes, eos omnes hortamur ne in vacuum Dei gratiam recipiant, quae abunde datur per verbum ipsius. Parum enim proderit ipsis intentissima pastorum cura, si libenter verbum Dei audire noluerint. Inde, non modo patres et matresfamilias provocamus, ut in illo audiendo suis bono exemplo praeluceant, sed et omnes et singulos fideles monemus, ut templum Dei adeant, praedicationi devote assistant et quidquid ad fructibus ipsius cooperandum praestare possunt, fidelissime faciant. Tanquam semen divinum verbum Dei in corde optimo suscipientes, illud retineant, et fructum afferre conentur in patientia et humilitate, ut cum sancto timore et tremore propriam salutem operentur et per opera bona certam suam electionem et vocationem faciant.

§ II.

DE CATECHESIBUS AD PUEROS ET RUDES.

57. Parochi, dum parentes de strictissima obligatione educandi filios in fide ac pietate admonent, meminert sibi in hoc sanctissimo negotio praecipuam partem incumbere. Animarum enim vocantur et sunt vigiles; et Baptismum conferentes, Deo et Ecclesiae generant filios, quos ab Ecclesia recipiunt spiritualiter nutriendos. Hoc memorans circa puerorum catechismum, quod veluti nobilissimum aestimarunt mu-

nus, et sibi ipsis vindicarunt sanctissimi Praesules et sacerdotes etiam non Parochi, dicente Chrysostomo: « Quid enim maius, quam adolescentulorum fingere « mores? » sequentia statuit Synodus Provincialis I Guadalaxarensis:

58. Ab ipsa Ecclesia, gravissima, et sub gravibus poenis, imponitur Parochis obligatio christianam doctrinam pueros ac rudes edocendi.

59. Necessarium etiam est huic praestantissimo operi manus impensius admovere hoc periculoso tempore, cum omnibus pateat hodiernos religionis humanaeque societatis inimicos, diabolico plane spiritu, in id suas artes conferre, ut iuvenes mentes et corda a prima ipsa aetate pervertant.

60. Parentes et omnes qui de pueris curam habent, Parochi moneant et hortentur, ut illos ad catecheses mittant, immo et ipsi eos comitentur.

61. Ne taedio afficiantur parvuli, curandum est, ut praescriptum temporis spatium non excedant catecheses, atque piis precibus et canticis inchoentur et finiantur. Preces vero sint orandi formulae usitatae, et scitu necessariae, uti, praeter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Actus Virtutum Theologicarum, et similia. Cantica eo tendant, ut crebro illorum usu, mundanae et lascivae cantiones ab ore et auribus fidelium magis magisque arceantur, et sententiae atque doctrinae catholicae praecipue animis puerorum infigantur.

62. Si vero tanta sit puerorum frequentia, ut ad omnes simul docendos ac vigilandos nec Parochus suf-

¹ Conc. Trident. Sess. XXIV.

² Pius IX. Encycl. *Nostris*.

³ Paul. V. Const. Ex credito nobis, 6 Oct. 1607.

ficiat, nec clerici adiutores, alii quoque operarii vocentur in messem Patrisfamilias, a quo certissime mercedem accipient. Vocentur ad hoc, praeter ludimagistros vel scholares idoneos, fideles ac pii utriusque sexus laici; et instituatur aut augeatur *Sodalitas Doctrinae Christianae* a Summis Pontificibus commendata et indulgentiis aucta.

63. Institutionis religiosae proficua methodus est ut verba catechismi fideliter memoriae mandentur: ne tamen sint verba in aëre sonantia, in suo sensu et nexu explanentur, prout aetas et intelligentia fert puerorum et audientium; praecipuam operam collocando in eo ut pueri attendant ad ea quae dicuntur, et omni cum patientia proponantur ipsis explicationes, exempla, comparationes, ut veritates auditae spiritui et cordibus altius inhaereant, atque, indicato practico usu, moribus quotidie exprimantur.

64. Ceterum intuitivam methodum et historicam per imagines ad institutionem puerorum christianam, quae in saeculorum praxi et in Ecclesiae agendi modo fundatur, etiam Tridentinum Concilium commendavit¹ his verbis: « Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias Misteriorum nostrae Redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis, et assidue recolendis: tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum percipi fructum, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum quae a Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per sanctos miracula, et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur; ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem

¹ Sess. XXV. De invocatione, veneratione, et reliquiis sanctorum, et de sacris imaginibus.

vitam moresque suos componant et excitentur ad adorandum ac diligendum Deum et ad pietatem colendam ».

65. Parochus ipsos pueros in elencho describat, tum ut sciat an omnes intersint, tum ad ipsos alliciendo. Det ipsis signum assistentiae. Benevolum se ostendat, ast gravitatem praeseferat, ita ut pueri dum illum amant, etiam timeant et venerentur; et quin rideant, laeti assistant. Interroget eos ita ut aemulationem, attentionem, curiositatemque omnino obtineat. Alliciat eos praesertim munusculis, uti libris, coronis precatoriis, imaginibus sanctorum, et si non omnibus et quotidie, saltem distribuat per sortes et frequenter.

66. Gradatim procedat; primum necessaria necessitate medii, deinde necessaria necessitate praecepti edoceat; nec transeat ad aliam interrogationem, quin maior saltem pars praesentem sciat.

67. Catecheses vero speciales ad pueros, qui ad S. Synaxim accedere debent, necessarium absolute duximus ut Parochi instituunt quamprimum, ubi adhuc non sunt, ut instructionem copiosam, tum super veritatibus Religionis praecipuis, tum singillatim circa dispositiones ad sanctum Sacramentum digne suscipiendum impertiantur. Ad hoc autem illos libros recentiores optimos riteque probatos, qui in dies in lucem eduntur, de hac re tractantes, Parochos perlegere hortamur; atque non tantum ut instructionem praeviam et bene ordinatam, et per se, et per alios sacerdotes, pueris ministrant optamus, sed etiam brevia exercitia spiritualia, aetatulis eorum, et ad rem magnam de qua agitur accommodata, pueros practicare faciant; quae quidem exercitia optime descripta videntur in libris qui circa materiam hanc ex professo scripti sunt. Optime vero

agent Ordinarii locorum Provinciae Nostrae, si normas expediant particulares et instructiones minutas, atque mandata Parochis hunc in finem dirigant, ob oculos habentes prudentes illos sanosque progressus qui nationibus in aliquibus catholicis, hoc in genere catecheseon, facti sunt hodie.

68. Urgens quoque nos consideramus ut quamprimum, in Parochiis praesertim principalioribus, instituantur instructiones religiosae permanentes atque periodicae pro pueris ac iuvenibus, qui iam prima vice magnum Sacramentum susceperunt, quaeque *Perseverantiae Catechismi* vocantur et in quibus dogmatice, moraliter, historice, atque liturgice Religio docetur. Ex institutionibus huiusmodi, optime in variis Ditionibus Catholicorum confectis atque ordinatis ac de quibus plurimi et excellentiores libri in dies scribuntur, magna in parte, Dei favente gratia, pendet ut pueri ac iuvenes in Sacramentorum frequentia prosequantur, et in scientia Religionis crescant, et in virtutum christianarum exercitio proficiant et tanquam boni cives atque christiani practici effulgeant.

69. Si aliqui ob loci distantiam, vel quia greges custodiunt, etc., etc., catechismo in Paroecia assistere nequeant, sacerdos in illorum Oratoriis celebraturus, illos edocere tenetur. Si vero ita instrui non possint, curet Parochus eos simul frequenter convocare: et praesertim ante Confirmationem et primam Communionem apprime omnes instruat.

70. Fideliter ad praxim deducantur omnia et singula quae de re catechetica Ecclesia praescripsit.

§ III.

DE CONCIONIBUS AD COETUS EXCULTOS.

71. Cum verbi divini praedicatio, ut supra dictum est, auditorum conditionibus accommodari oporteat, Synodus haec, illa pretiosa verba, huc attinentia, Summi Pont. Leonis XIII, mente revolvens: « Valde, inquit, suademus ut concionibus tempestivis elementarum sanctissimarum explanentur, quibus christiana philosophia continetur; quod illud pertinet, ut mentes hominum eruditione sanentur, et contra multiplices errorum formas, et varia incitamenta vitiorum muniantur »¹, decernit:

72. Concionantes in Cathedralibus, aliisque ecclesiis praecipuorum locorum, ubi errores ab Ecclesia damnati, et vitia homines deturpantia magis serpunt, data occasione, adversum eos prudenter, docte ac opportune insurgant, et contra illos sermones apologeticos faciant, veritatem docendo, doctrinam de fide et moribus luculenter explanando, Ecclesiae iura ac praecepta ob omnium oculos ponendo, et eiusdem beneficia et salutarem actionem patefaciendo in ordinem sociale, atque in ceteros ordines, qui nexum strictum habent cum societatum et gentium salute ac etiam cum progressu et firmitate verae culturae civilis; ut, his solidissimis statutis fundamentis, quae a novatoribus, et divinae Religionis hostibus propalantur, et fallacibus verbis in multorum mentibus inseruntur, facilius et utilius refutant et convellant. Omnia enim respicienda sunt praesentis aetatis vulnera, et ideo contra Indifferentismum,

¹ Encycl. *Humanum genus*.

Protestantismum, dierum sacrorum profanationem, sacrae ac civilis auctoritatis contemptum, blasphemiam, discordiam, detractionem, saepe insurgendum est. Vitia libere arguant, caventes simul ne ullam personam, nec indirecte quidam, designent. Quae asperiora sunt, caritatis dulcedine et verborum prudentia temperent: « Sanare enim oportet, non efferare, ait S. Ioannes Chrysostomus, et excusare potius quam accusare, iuxta Apostolorum Principis exemplum ad Iudaeos, qui Christum crucifigi petierunt, dicentis: *Scio, fratres quia per ignorantiam fecistis; poenitentiam agite, et convertimini, ut deleantur peccata vestra* ».

73. Quoniam, Dei gratia, in civitatibus praecipuis, ac praesertim in Cathedralibus fere omnibus nostris, praedicationi temporis quadragesimalis et Adventus, et exercitiis spiritualibus, quae fiunt in Quadragesima magna intervenit populi frequentia, et personarum scientia et cultura hodierna pollentium multitudo, coetibus in ipsis – sine detrimento praedicationis circa Novissima, quae numquam quasi secundaria habenda est, et omnino necessaria fit etiam excultis, illis hominibus – volumus applicari quae diximus numero praecedenti, de huius aetatis errorum cardinalium prudenti confutatione; ac in specie de illis quorum impugnationem vel necessitas vel convenientia et opportunitas loci et temporis potissimum suadeat.

74. Commendamus omnibus concionatoribus Provinciae Nostrae, ut instructionem S. Congregationis Episcoporum ac Regularium recentem circa praedicationem ad Episcopos et Superiores Religiosorum et Institutorum catholicorum datam, integram perlegant et meditentur, ut ipsi regulae sapientissimae in cunctis omnino sese subiiciant. Praesertim vero ad abusus vi-

tandos, qui circa praedicationes quae *Conferentiae* nuncupantur, emergere possunt, inserere hic volumus quae S. Congregatio memorata ad rem sequentibus verbis monet: « Nec vero ideo Collationum polemicarum usum damnandum existimamus, quae si recte perficiantur, et ipsae admodum utiles, immo etiam necessariae, tot inter errores contra Religionem quoque sparsos, quandoque esse possunt. Sed omnino a christianis suggestibus vaniloquia illa arcenda sunt, quae de theoreticis potius rebus, quam practicis pertractant; de civilibus potius, quam religiosis; maioris videlicet speciei quam fructus; quae proinde Ephemeridum palaestris aulisque academicis apta forte erunt; at vero a loco sancto prorsus absona ».

§ IV.

DE MISSIONIBUS APUD FIDELES EXCULTOS.

75. Cum, ut experientia patet, eiusmodi exercitia Religionis, quae suapte indole attentionem hominum singulariter provocare solent, in vita christiana reformationes et progressus tanquam fructus habeant in ordine morali, convictionem religiosam firment et non raro quoque circa fidem errantium corda ad rectam viam pertrahant; haec circa illa decernimus:

76. Summopere Parochis commendamus ut tam salutiferum beneficium suis fidelibus procurent et eos sedulo ad illud excipiendum praeparent, et omni zelo ac vigilantia seipsos impendentes et superimpendentes, satagant, ut fructus inde percepti conserventur et au-geantur.

77. Non Parochos tantum, sed et omnes quoque sacerdotes, et etiam fideles laicos, monemus et hor-

tamur, ut quantum singuli potuerint, optabile ipsarum missionum exercitium adiuvere et promovere adlaborent, collatis inter se consiliis, ac, de proprii Episcopi venia, tum ad designandam Parochiam, in qua peragantur, ut facilius convenire possint fideles etiam de vicinioribus oppidis et pagis, tum ad sumptos necessarios inter omnes distribuendos.

78. Cum nihil antiquius habeant Episcopi, quam ut fides et vita christiana in populo ubique crescat et promoveatur, pro iure suo et proprio motu missiones deputabunt quocumque in loco illas vel necessarias vel opportunas iudicabunt.

79. Deficiente copia ministrorum, qui Religiosi ordinis sui professione ad hoc missionum munus vocati sunt, optime merebuntur sacerdotes saeculares, etiam curam animarum habentes, si consociati, collatis prius consiliis, obtentaque sui Episcopi venia, sacras missiones, vel novendialia, ad instar earum, vicissim in Paroeciis suis habuerint; ita ut Parochus unius populi in alium se transferat, et huius rector idem officium in alterius Ecclesia peragat.

80. Verbis SS^mi Dⁿⁱ Leonis XIII ad Episcopos, omnibus de clero nostro haec inculcamus: « Vestri muneris est, V. F., sedulam impendere curam, ut coelestium doctrinarum semen per Dominicum agrum diffundatur et catholicae fidei documenta fidelium animis mature inserantur, altas in eis radices agant et ab errorum contagione incorrupta serventur »¹.

¹ Encycl. *Inscrutabili*.

§ V.

DE MISSIONIBUS APUD INDOS INCULTOS
PROVINCIAE NOSTRAE.

81. Gloria permagna est Catholicismi, tum conservatio tum cultura incolarum Americae. Ita historia mundi vera luculenter demonstrat: et Summi Pontifices Paulus III, Pius V, Gregorius XIV, Clemens VIII, Urbanus VIII, Clemens XII, Benedictus XIV, Gregorius XVI et Leo XIII propugnatores acerrimi gentium Indigenarum apparent inclyti: et in Iure Mexicano, dum Religionis Catholicae spiritu inspiratum fuit, ac praesertim Mexicano in Concilio III, vix quidpiam saepius reperimus commendatum, quam libertatem, defensionem, culturam et Indorum educationem. Sed heu! Revolutionis Antichristianae flatus hodiernus, qui per universum orbem ordinem christianum funditus adhuc subvertere tentat, in miserandam Patriam nostram insufflavit, et Missiones inter Indigenas exterminans, Indos in vita inculta perseverare, in saeculi nostri novissimis probrose videmus!

82. Volens autem Concilium nostrum, deficientibus inter nos Institutis Religiosis de Propaganda Fide, quae olim Missionibus Indorum infidelium et incultorum editi fuere, aliquid facere pro miseris Indigenis adhuc incultis, existentibus in Ditione Provinciae nostrae, sequentia decernit:

83. Mittantur Missionarii quamprimum vel de Propaganda Fide, vel de Collegio Guadalupano in capite urbe Nationis nostrae recenter erecto, vel de aliis Institutis, quorum auxilia Episcopis opportunum videbitur petere, ut inter Indos incultos Guadalaxarensis Pro-

vinciae, Evangelium praedicent et illos in vitam civilem perficiant, dum simile Missionariorum Collegium in Provincia nostra cito creari non valeat. Opus autem ad hoc magnum perficiendum, fundetur quantocius Congregatio pro Fide propaganda apud Indos in Provincia.

84. Interea, in Seminariis Dioeceseon, cito ediscantur linguae Indigenarum, ut aliqui de Clero saeculari, linguas illas callentes, et qui vocationem ad hoc Apostolatus munus habeant, mittantur ad Indos, quibus Missiones necessariae maxime sint, ad fidem eorum servandam et vitam civilem perficiendam. Studium autem earumdem linguarum maxime commendabunt Ordinarii, ubi agitur de promotione Clericorum ad munera superiora.

85. Ob oculos habeant Parochi privilegia, quae S. Sedes Indis Americae concessit, et quae omnia inserviunt ad conservandum Indigenis ipsis pretiosum fidei donum, quaeque ad veram humanitatem et perfectum statum civilem et christianum illos perducunt.

86. Defensionem suscipiant Indorum, quando fuerit opus, quemadmodum Concilium III Mexicanum praecepit, prae oculis habentes exemplum perillustrium Las Casas, Garcés Quiroga, etc., etc.: et tum illi tumque caeteri sacerdotes amorem vere paternum erga illos, affabilitate et mansuetudine monstrent; ab omni iniustitia, inhumanitate et iniuria caveant, unde et auctoritati sibi tam necessariae nocerent, et gregi suo praedicio forent et scandalo: animadvertentes quod Nos, sub poenis, quas efficaces ac prudentes existimaverimus, illis iniungimus, ut faciles ac patientes ac plenos caritate se illis exhibeant, tanquam filiis praedilectis Ecclesiae; et curent denique ut nulla ratione, sive publice in templo, sive privatim, iniuriose loquantur de ipsis

Indigenis, sed cum caritate, ubi necesse sit, eos de defectibus moneant, nec leviter, etiam si ius haberent, ante iudices eos citent, memores verbi et exempli Christi Domini Nostri.

CAPUT II.

De iuventutis christianae institutione.

87. « Cum sacrum proverbium sit: "Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea"; et quoniam, hoc ipso, iuventutis educatio, quam veluti societatis venturae formam considerari oportet, palaestra sit praecipua, ubi praelium magnum hodiernum inter Christum et Satanam, ac inter duas civitates, de quibus loquitur D. Augustinus, factum est; et quia, propter hoc, pravaram doctrinarum fautores et propagatores ac potissimum Liberalismi asseclae et Massonum secta, quae inferendo sese per audaciam et dolos in omnes reipublicae ordines tantum iam posse coepit, ut prope dominari in civitatibus videatur, mundum ad Religionis contemptum efformaturi, nihil intentatum, nihilque inexpertum relinquunt, ut omnem Ecclesiae potestatem, eiusque salutarem vim, quam ipsa Ecclesia ex divina sua institutione exercere debet, vel magis in diem coarctent, vel ab eisdem Institutis arceant, et ipsa instituta pleno civilis politicaeque auctoritatis arbitrio subiiciant, ad imperantium placita et ad volubilem aetatis opinionum rationem, Synodus Provincialis Guadalaxarensis Prima, de magno educandae iuventutis negotio sequentia decernit, Paragraphis variis materiam dividens, scilicet: 1.º De iuventutis educandae christianae magno momento: 2.º De iuribus Ecclesiae in ipsius iuventutis institutione: 3.º De officiis Episcoporum, Parochorum

et fidelium, quae ad hanc rem pertinent: 4.^o De gradibus scholarum catholicarum in Provincia.

§ I.

DE IUVENTUTIS EDUCANDAE CHRISTIANAE
MAGNO MOMENTO.

88. Puerorum recta institutio veluti res maxima est proclamanda, prout ex natura rei atque ex Encyclicis et aliis documentis pontificiis, ac praecipue SS. D. N. Leonis XIII, passim eruitur « Adolescentes, inquit egregius Pontifex, vel a pueritia ad christianos mores christianamque sapientiam informari, non modo Ecclesiae, sed etiam reipublicae hodie tanti interest, ut pluris interesse non possit ».

89. Necessitas catholicarum scholarum maior est, ubi (sicut in Provincia nostra) officiales vel publicae scholae sunt *laicales* vel *neutrae*.

90. Ideoque ad calamitatem tantam pellendam, quae a scholis neutris et a fortiori ab acatholicis causatur, quaeque per se malum gignit, quod et latius et maius est quam remedia, omne studium et omnis contentio adhibenda est, atque nec sumptuum nec laborum magnitudine deterrendum est nobis, sed vehementer adlaborandum, ut in eadem re, praecipuam et constantem operam omnes impendamus, ut per catholicarum scholarum foundationem et sustentationem, recte ac sapienter instituendae iuventuti vel a primis aetatibus consulatur.

91. Sicut ergo generatim, Dei gratia, in Provincia nostra, media non deficiunt ad templa aedificanda vel restauranda, ad cultum divinum splendore ac magnificentia sustinendum atque fovendum, ad nosocomia

fundanda et alenda, ad nutriendos pauperes, et alia similia; ita omni studio curandum est a Clero et universo populo ut instituta scholastica sufficientia ad pueros et iuvenes christianos, catholicae societatis plantarium, recte educandos, non desint. Memores simus quod si aliquando etiam sacra vasa vendidit Ecclesia pro redemptione christianorum a captivitate infidelium, ad pueros liberandos de errorum hodiernorum dominatione vel invasione, atque ad vitandum ut in Patria nostra « soboles propagetur bonorum animi incuriosa, Religionis expers, et persaepe impia »², omnes vires et conatus adhibendi sunt, et nihil intentatum relinquendum est pro hac necessitate suprema satisfacienda, omnia sacrificando, hoc ubi loci et temporis adiuncta postulaverint.

§ II.

DE IURIBUS ECCLESIAE IN IUVENTUTIS INSTITUTIONE.

92. Omnes Christi fideles curae nostrae commissos hortamur ob oculos habere, ante omnia, cum de puerorum educatione agitur, quae sequuntur:

a) Cum parentes, ut vitae naturalis filiorum suorum auctores, auctoritatem habeant originarie ad hanc vitam evolvendam, et perficiendam; et cum Ecclesia, vitae supernaturalis tanquam auctrix aut Mater, originarie ad hanc ipsam vitam perficiendam auctoritatem iure sibi vindicet; educatio supernaturalis vel christiana primo ad Ecclesiam pertinet, et postea, quamvis etiam essentialiter, ad parentes.

b) Sive igitur naturalis sive supernaturalis edu-

¹ Leo XIII, ad Episc. Hung.

² Leo XIII. ibidem.

catio puerorum, familiae ius et officium est, sub directione suprema Ecclesiae.

c) Ecclesia ius et officium habet arcendi ab institutione puerorum, etiam naturali, cuncta quae fidei catholicae noceant, et religiosam instructionem introducendi, quantum ad robur ac perfectionem fidei atque pietatis in puerorum anima sufficiat, ita ut Religio tanquam forma vel anima educationis splendeat.

d) Scholarum vel Collegiorum fundatio, quorum est non Statum repraesentare sed familiam supplere, primo ad Ecclesiam et familiam attinet; postea ad omnem privatum et omnem congregationem, ad fideles et Religiosos ordines, ad paroeciam humilem sicut ad urbem episcopalem, ad municipium sicut ad cetera corpora civilia et politica.

e) Schola igitur vel Collegium, cum sit familiae auxilium ac vicesgerens, Ecclesiae directioni supremae, sicut etiam et familia, in educationis opere magno, subiici debet.

f) Ecclesia itaque ius merito sibi vindicat scholas visitandi et inspiciendi ut certiore se faciat quod omne fidei ac morum christianorum principiis in eis respondeat; et magistros vel haereticos vel periculosos aut suspectos excludendi, ac libros, methodos, et disciplinas prohibendi, quae discipulorum animam depravare valeant.

g) Status, ex eo quod neque naturalis, neque supernaturalis vitae puerorum auctor est, non habet, saltem originarie, docendi ius, nisi cum subordinatione ad familiae et Ecclesiae iura, ideoque neque institutionis et primariae, et praeparatoriae, et superioris monopolium illi respondet.

93. Haec omnia recogitantes quoad relationes inter

Ecclesiam et iuventutis educationem, Ecclesiam ex natura sua ius habere praecipuum, immediatum atque directum, intra sphaeram suam, in scholarum regimine, toto corde ac totis viribus defendimus ac proclamamus, ob oculos quoque habentes tum propositiones a Pio IX f. m., in Syllabo, cui auctoritas infallibilis est, damnatas, quae sequuntur: « Totum Scholarum Publicarum regimen, in quibus iuventus christiana alicuius reipublicae instituitur, potest ac debet attribui auctoritati civili » (Prop. 45): « Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus pueris, ac publica universim instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, plenoque civilis auctoritatis arbitrio subiiciantur » (Prop. 47): « Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiarum ac terrenarum socialis vitae fines tantummodo, vel saltem primario, spectet » (Prop. 48); tum quoque verba haec SS. D. N. Leonis XIII: « Nos profecto, rei gravitate perspecta, cupere et velle debemus, ut in publica adolescentium institutione integrum Ecclesiae sit explere partes, quae sibi sunt divinitus datae, nec facere possumus quin vos flagitemus, ut operam vestram huc studiose conferatis »¹.

94. Instituta, ubi pueri ac iuvenes christiani educantur, auctoritate Episcoporum et Cleri vigilantia gubernanda sunt. Quod non solum de scholis primordiariarum, sed etiam de litterarum maiorumque disciplinarum intelligi volumus, et extenditur, intra limites a iure

¹ Leo XIII, ad Episcop. Hung.

praescriptos, ad Instituta quae, vel a privatis ludimagistris, vel a Docentibus Congregationibus Regularibus etiam exemptis reguntur et administrantur.

95. Iura haec omnia ita sibi Ecclesia vindicat semper veluti integritatis fidei vindex et custos; et ex eo quod collata sibi a Deo conditore suo auctoritas fuit, debet ad sapientiam christianam vocare gentes. Unde est quod ii omnes qui perperam contendunt Ecclesiam debere salutarem suam moderatricem vim erga scholas deponere aut intermittere, nihil aliud profecto vellent, quam ut Ecclesia contra divini sui Auctoris mandata ageret, et gravissimo officio curandi omnium hominum salutem, sibi divinitus commisso deesset.

§ III.

DE OFFICIIS EPISCOPORUM, PAROCHORUM ET FIDELIUM
QUAE AD IUVENTUTIS EDUCATIONEM PERTINENT.

A) - Quoad Episcopos.

96. In creandis, et fovendis, et invigilandis scholis, ubi recte ac sapienter instituendae iuventuti vel a primis puerorum aetatulis usque ad eam in qua frequentantur Collegia Superiorum Studiorum provideatur, munus praecipuum Episcoporum est.

97. Ad Episcopos vocem extollere summopere pertinet et etiam atque etiam patresfamilias et caeteros fideles monere, non solum ne a liberis suis eos celebrari patiantur discendi ludos unde fidei christianae iactura metuatur, sed etiam ut Instituta Christiana hac in re sufficientia creentur et, si ratio temporum postulat, ut in hoc genere, aut quaedam instituantur nova, aut instituta augeantur, magnum opus hoc omni studio

et contentione aggredientes et episcopalem actionem magis magisque adhibentes: memores illorum tum prophetae verborum: « Clama, ne cesses, exalta quasi tuba vocem tuam »¹, tum Apostoli: « Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina »².

98. Si necessarium aut etiam opportunum Ordinariis videbitur, suis in Dioecesibus sedulo curabunt summa prudentia introducere, auxiliare ac fovere instituta docentia, quae ab Ecclesia non solum approbata, sed etiam plurimum commendata ubique terrarum reperiuntur. Non est equidem cur in demonstrando immeremur quod passim experientia testatur, et suadet, scilicet: qua vera animi abnegatione, qua caritate ac zelo animarum in iuventutis christianae efformationem, quae non solum instructionem, licet solidam, sed etiam praecipue sanam educationem complectitur, incumbunt utriusque sexus Religiosi ad id muneris a Deo vocati, ut familias in hac earum gravissima obligatione suppetias ferant; et minime ignotae sunt commendationes, quae de eorum Institutorum ratione tum docendi, tum christiane educandi ediderunt non modo SS. Pontifices, ut nuper Leo XIII, et catholici viri, sed etiam insignes protestantes et alii acatholici; ac certi denique sumus quod maiores fructus, et permagna sumptuum reductione, horum Religiosorum Institutorum educatio ederet, si eorum ius docendi ab Ecclesia communicatum et ab ipsis familiis datum, recognosceretur a Gubernio civili.

99. Ubi autem scholae catholicae vel nullae vel necessariae haberi non possint, curent Episcopi, sicut

¹ Isa. LVIII, 1.

² II. ad Timoth. IV, 2.

iam variis in regionibus factum est, uberrimo fructu, ut aperiantur saltem Religionis scholae, ubi alumni officialium vel laicalium Institutorum, circa Religionem sufficienter edoceantur, diebus et horis et locis, in quibus hoc fieri commode videatur, iuxta normas speciales, quas pro unaquaque Dioecesi edant ipsi Ordinarii. Haec vero scholae Religionis in gradus etiam opportunos dividantur, et in eis idem ordo statuatur, quantum adiuncta sinant, qui caeteris in scholis catholicis vigeat, circa studiorum religiosorum amplitudinem, explicationes, lectionum interrogationes, scrutinia, certamina, praemia, etc. etc. Ordinarii normas ad hoc particulares expedient.

B) - *Quoad Parochos.*

100. Parochi etiam moneant frequenter fideles de periculis scholarum tum acatholicarum tum laicalium ac de necessitate erigendi catholica Instituta, et sciant quod graviter officiis suis desunt, si non omnia quae sunt in eorum potestate faciant, ut in Parochia sua non desit catholica schola.

101. Ut autem hac in re proprium munus fidelius exsequantur, accurate servent instructiones et normas S. Sedis.

C) - *Quoad fideles.*

102. Parentes filios suos mittere debent ad scholas christianas, et etiam ipsimet sciant quod Confessarii absolutionem ipsis negare debeant, si, catholica existente schola, et cum ad ipsam mittere filios suos possint, illos tamen scholae neutrae confidunt, extra necessitatis casum, ac sine requisitis a S. Sede praescriptis.

103. Omnium curarum quae parentibus incumbunt, princeps et urgentissima est filiorum a tenera aetate educatio, quoniam ipsi primi dati sunt filiorum institutores a Deo, cui rationem reddituri sunt pro animabus illorum; non enim eis filios tradidit tantum ut corpus alant, sed ut animae curam agant, et eo maiori studio quo ista maioris est pretii, utpote sanguine Christi redempta, et per baptismum adoptionem filiorum Dei assecuta.

104. Vera autem educatio in Religione fundari debet: ideoque fides, sine qua impossibile est placere Deo, et ad consortium eius pervenire, ac pietas quae utilis est ad omnia, ac prima in Religionis elementis instructio summo conatu inserendae ac fovendae sunt a parentibus in corde filiorum, ut ipsis aequae bona temporalia praeparent, ac aeterna: cum non nisi ex infantibus bene educatis exurgere possit populus fidelis, sectator bonorum operum, timens Deum et ambulans in viis eius.

105. Sciant vero parentes, ne quod a sacro ministro labore non levi aedificatum fuit, destruat in domo, non verbo solum, sed et opere et exemplo christianitatis sensus in filiorum cordibus infundere teneri, ideoque debere ad templum Domini eos secum deferre, in domo christiani moris habitus illis instillare, et ante omnia fidei veritates eos docere, quin ab hoc abstinendum credant, eo quod scholas et catecheses parochiales frequentent: filios ergo interrogent circa ea quae illis in locis audierint, quaeque de Religione et de vita christiana scitu necessaria sunt.

106. Quoniam vero famuli veluti familiae ampliatio inspiciendi sunt, invigilare debent similiter patresfamilias qui famulos habent, ne ullum admittant, qui in fide scandalum pusillis esse possit; et si talem aliquem

repererint, coërceant, et quamprimum e domo illum eiiciant, ne modicum fermentum hoc totam familiae massam corrumpat.

107. Curent etiam domini domus ut servi sint bene morati, et ad pietatem illós excitent, ad catecheses et ad praedicationem verbi divini eos secum deferendo, atque curantes ut sacramenta frequentent et orationis pabulo nutriantur, illud gravissimum Pauli Apostoli effectum considerantes: « Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior »¹.

108. Pro animabus filiorum, ac praesertim pro fide ac moribus illorum, parentes fervide orent semper, praecipue si eos a via recta declinare viderint, exemplar habentes matrem beatam Monicam, quae oravit et flevit, et anima errantis filii Augustini data est ei, immo data est Ecclesiae, cuius magnus Doctor evasit; ac data est coelo, ubi cum matre splendissima fulget gloria in perpetuas aeternitates: quoniam qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

109. Hortamur denique parentes et omnes fideles ut quantum in eis fuerit, ad foundationem et institutionem Catholicarum Scholarum cooperentur.

§ IV.

DE CATHOLICARUM SCHOLARUM GRADIBUS IN PROVINCIA.

110. Scholae Catholicae, in Guadalaxarensi Provincia, trium graduum erunt, scilicet: Primariae Instructionis, Secundariae vel Praeparatoriae, ac Superioris vel Professionalis. De his omnibus atque etiam de Scho-

¹ I. Timoth. V, 8.

lis Normalibus, quae de tribus gradibus participant, haec praecipere volumus:

A) - Quoad Scholas Primarias.

111. Ante omnia, ut faciant quae sua sunt, hortamur omnes catholicos nostrae Provinciae corde cogitare quod praeter Protestantismum, qui nihil omittit in Patria nostra ut pueros ad instituta sua attrahat atque hoc modo illos pervertat, Massonum secta, iuxta Leonem XIII, harum Scholarum directionem ac dominium omni conatu sibi appropriare ubique potissimum intendit: « Summa, autem, inquit praeclarus Pontifex, conspiratione voluntatum illuc etiam spectat secta Massonum, ut institutionem ad se rapiat adolescentium. Mollem enim et flexibilem aetatem facile se posse sentiunt arbitrato suo fingere et, quod velint, torquere: eaque re nihil esse opportunius ad sobolem civium, qualem ipsi meditantur talem reipublicae educandam. Quocirca in educatione doctrinaque pueruli nullas Ecclesiae ministris nec magisterii, nec vigilantiae sinunt esse partes: pluribusque iam locis consequuti sunt ut omnis sit penes viros laicos adolescentium institutio; itemque, ut in mores informandos, nihil admisceatur de iis quae hominum jungunt Deo, permagnis sanctissimisque officiis »¹.

112. Volumus etiam ut omnes numquam oblivioni tradant quae de horum Institutorum fine loquens docuit s. m. Pontifex Pius IX in his verbis: « Etenim in hisce potissimum scholis (popularibus) omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimae religionis mysteriis, ac praeceptionibus, sedulo sunt eru-

¹ Encyc. *Humanum genus*, 20 April., 1884.

diendi, et ad pietatem morumque honestatem, et ad religionem civilemque vivendi rationem accurate efformandi. Atque in eisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum habere ac dominari debet, ut aliarum rerum cognitiones, quibus iuventus imbuitur, veluti adventitiae appareant. Cum igitur populares scholae ad populum religiose formandum eiusque pietatem et christianam morum disciplinam fovendam sint praesertim statuae, idcirco omnem Ecclesiae curam, sollicitudinem et vigilantiam prae caeteris educationis Institutis sibi merito atque optimo iure semper vindicarunt¹.

113. Instituta haec, ubi necesse vel possibile fuerit, tres inferiores gradus comprehendent, qui « Asylosum, Elementarium et Superiorum Primae Institutionis » nomine appellabuntur, vel saltem duos primos gradus.

114. Tum Parochos, tum Associationes catholicas, tum privatos fideles hortamur in Domino, ut ubique instituere has Primarias Scholas procurent, sive parochiales sive privatas, tum diurnas pro pueris, tum nocturnas pro adultis. Pastores animarum, excitata etiam fidelium liberalitate, promovere studeant solidam instructionem puerorum, saltem in materiis magis necessariis; et doceant fideles, in primis patresfamilias, pro ratione suarum facultatum, strictam eis incumbere obligationem contribuendi in hunc finem ut scholae catholicae institui et sustentari possint. Si tamen in aliquo loco duplici scholae pro pueris et puellis, prospici non potuerit, prima cura sit scholam pro pueris aperire.

115. Pro populis autem Indigenarum aliquid speciale Synodus haec providere vult. Quoniam causa plu-

¹ Epist. *Quum non sine maxima* ad Archiep. Friburg.

rimorum malorum, quibus gravantur Indigenae, est praesertim defectus instructionis et civilitatis, Parochi, pro zelo gregis sui, labori nulli parcant ad procurandam fidelibus sibi commissis Indigenis hanc instructionem et educationem; ideoque satagant erigere scholas tum pro pueris, tum etiam nocturnas et Dominicales pro adultis, aut grandioribus, qui intra diem labore suo impediuntur, quominus et ipsi circa necessaria, imprimis doctrinam, deinde reliqua, edoceri valeant. Pro ipsis vero Indis huc etiam spectat illud Con. Mex. III, quod hic praecipiendo iterare volumus: « Indorum Curati, inquit Synodus¹, tum saeculares tum regulares, omni diligentia procurent, ut in illis oppidis, pagis, seu vicis, in quibus ipsi resident, scholae instituantur, ubi Indorum pueri legere et scribere discant, christianae doctrinae documenta accipiant, hispanamque linguam doceantur. Id enim maxime conveniens est ad christianam et civilem eorum institutionem. Admonentur tamen Curati ne has Scholas erigendi praetextu, Indorum operis... ad suos proprios usus abutantur. Quod si secus fecerint, a Praelato puniantur, et ad restituendam Indis iustam laborum suorum mercedem compellantur ».

116. Ubi loci conditio et numerus incolarum illud suadeat, nihil obstat, imo perutile esse poterit ut, praeter scholas ordinarias pro pueris et pro puellis, illae etiam instituantur quas vocant, *Scholae Artium et officiorum*, in quibus ad artes et industrias diversas formentur pueri tanquam in seminario operariorum christianorum, magno certe emolumento religionis et societatis.

117. Nec minori sollicitudine promovenda est puellarum institutio, qua, idoneis a personis, officia dome-

¹ Lib. I, Tit. I, Sect. III, § V.

stica, et artes et industria suo sexui et aetati accommodatas, illic doceantur, et ita se liberent facilius a malorum colluvie, quae egestatis occasione proveniunt.

118. Studeant Parochi monere fabricarum et villarum possessores ad erigendas in ipsis fabricis scholas peculiare, ostendendo illis quod ad hoc quamdam obligationem specialis caritatis habent ipsis a Deo impositam. Dominis vero fabricarum et villarum per amorem Dei enixe obtestamur, ut illorum, quorum ad augenda huius vitae commoda utuntur laboribus, spirituali commoda paratissimi provideant, per scholarum erectionem et sustentationem, ubi opificum pueri et ipsi opifices adulti circa Religionem ac scientiarum rudimenta sufficienter instruuntur. Meminerint, quaesumus, omnes et singulos, quotquot in suis fabricis aut villis operarios et famulos numerant, ante omnia Regi saeculorum famulari debere, et supremi quoque Domini operarios illos appellari, necnon una nobiscum illi familiae adscriptos esse, pro qua Dominus Noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum.

119. Ad Socialismi demum et Communismi plagam vitandam inter Indigenas et opifices etiam civitatum, in scholis edoceantur opportune, quae Leo XIII providentissime statuit in Encycl. *De conditione opificum*. Hic tantum advertimus quod Indi nostri et caeteri opifices memores esse debent, dum labori insudant, se esse christianos; at simul eos qui Indorum et caeterorum opificum opera utuntur, commonemus, gravata eorum conscientia, ne obliviscantur se Deo iusto et vindicationem esse reddituros.

B) - *Quoad Scholas Praeparatorias sive Lycea.*

120. Maximi momenti esse gymnasialibus scholis et aliis quae inter elementares et superiores intermediae sunt, recte providere, vel ex eo liquet, quod in iisdem cultiorum classium maxima pars formatur omnesque ex iis prodeunt, quibus potissima tum Ecclesiae tum Reipublicae munera creduntur et ad quos proinde oculi omnium diriguntur, quorumque exempla facillimos inveniunt imitatores. Accedit harum mediarum scholarum discipulos talis aetatis esse, quae, quoad fidem et honestatem morum, seductionis periculo maxime obnoxia esse solet. Antistites itaque huius Provinciae, rationis Deo reddendae nunquam non memores, ad iuvenes istos informandos, summo nisu conabimur unaquaque in Dioecesi vel creare vel fovere Lycea vel saltem super ea vigilare, ut in ipsis optima institutio litteraria cum germana fidei morumque doctrina coniungatur, sicque melius conservetur illa quam a maioribus nostris accepimus maxima haereditas, nimirum fidei catholicae incolumitas, et quod est, in tanta praesertim sententiarum actionumque licentia, maxime necessarium, bona civium soboles reipublicae educetur.

121. Ex Tridentini vero doctrina et S. Congregationis Concilii declarationibus, ex Pii IX verbis et ex natura rei infertur maxime interesse Collegia huiusmodi distincta manere a Seminariis ac prorsus separata. Quod si alicubi pro magistrorum paucitate ac bonorum tenuitate aliisve adiunctis, Seminaria proprie dicta et Lycea separatim sustentari in praesenti omnino nequeant, indulgendum videtur ut et Seminariis Minoribus omnes alumni catholici admittantur: at simul nihil intentatum relinquendum est, quin tum iuvenes qui ad statum eccle-

siasticum adspirant, a saeculari conversatione tuti custodiantur, tum reliqui alumni christiane instituuntur. Quamobrem ii soli tanquam contubernales in Collegio degant, qui ad Seminarium proprie dictum pertinent; quoad vero reliquos, licet easdem classes adeant, suam quisque domum habitabit; aut si intra Seminarii septa alendi videantur, continendi saltem erunt in parte aedium seiuncta.

C) - *Quoad Scholas Normales.*

122. Quamquam Scholae Normales proprie sunt Professionales, attamen ex eo quod habent semper Primariae Instructionis scholam adiunctam, et ex eo quod Lycea plurimum et in maxima parte studiorum conferre valent ad erudiendos alumnos, qui ad Magisterium Institutionis Primariae vocantur; post Lycea haec ponimus Instituta. De his vero praecipimus: Ut Scholis Catholicis Primariis provideatur per aptos magistros, in singulis Dioecesibus, vel saltem in Urbe Metropolitana, instituat Schola Normalis, in qua ad hoc officium tam nobile et praecellens formentur iuvenes, qui necessarias mentis et corporis dispositiones praeseferant.

123. Gravissimi porro momenti efformationem ipsorum ludimagistrorum censemus, ideoque optamus, ut ludirectores ipsi, praesertim ruri, pueros in scholis ingenio, moribus, necessariisque animi dotibus eminentiores ad magistrorum munus, quantum fieri poterit, praeparare et instituere satagant. Quae autem in Provinciae huius Dioecesibus Scholae Normales sive ludimagistrorum seminaria erigantur, Episcopis omnino subsint, istorumque cura ad Ecclesiae mentem accipiant instructionem.

124. Quoniam vero Paedagogia in litis et transitionis aetate hodie invenitur; quumque praeterea scientiae huius fere continui progressus, in applicatione systematum ac methodorum instructionis ac educationis mutationes frequenter exigant; Synodus haec Ordinariis commendat, ut ipsimet statuta et normas efforment, in quibus tum ratio studiorum, tum omnis gubernatio catholicorum horum Institutorum prudenter a recentioribus et veris Paedagogicae scientiae inventis informetur, similitudinem in hoc patrisfamilias ostendentes, qui profert de thesauro nova et vetera, et etiam, quoad acatholicorum paedagogorum labores et ingenii adinventiones, facientes sicut Israelitae, qui, de Aegypto egredientes, secum ferebant et vasa pretiosa et vestes Aegyptiorum. Episcopi autem ad studiorum rationem et generatim Scholarum Normalium - et aliarum etiam de quibus hic agitur - regimen omne melius ordinandum, unaquaque in Dioecesi paedagogorum et aliorum virorum tum laicorum tum sacerdotum in scientia educationis peritorum, coetum permanentem instituere curabunt, quorum opera erunt praecipua: 1.º Paedagogica systemata et methodos hodiernas omni studio bene percipere ac praesertim eorundem applicationes varias. 2.º Statutis temporibus rationem Ordinariis reddere de cordatioribus paedagogicae modernae adinventionibus, ut, mutatis mutandis et afflante in omnibus christiano spiritu, in scholis catholicis mature et prudenter ad praxim transferantur. 3.º Libros meliores, a sapientibus potissimum catholicis hac de re in lucem editos, perlegere ac proponere, ut ab ipsis studia illustrentur ac dirigantur, vel etiam alios scribere ad scholas Provinciae accommodatos. Nos vero hic et nunc tantum commendare volumus laborum et classium divisionem;

alumnorum diversarum aetatum et classium separationem debitam in aedificiis scholaribus; exercitium et perfectionem facultatum animae, attentionem tyronum semper ac prudenter occupatam habere; scholarem hygienem; methodum intuitivam caute et opportune adhibitam per obiecta praecipue ad scientias naturales et historicas addiscendas, maxime si de parvulis agatur: sic in omnibus utile dulci miscendo ac educationem physicam cordate impertitam.

D) - *Quoad Instituta Professionalia.*

125. Saltem in Metropoli, si hoc non est necessarium vel fieri non possit in Dioecesibus Suffraganeis, una Schola instituat, ubi iuvenes, qui superiora studia aggrediuntur, ad cursus profesionales optime in sensu christiano et pietati instituantur. Ad harum autem scholarum erectionem, sustentationem et progressus, Ordinarii Provinciae inter se conferant et modum rei perficiendae decernant.

126. Omnium, praecipue qui munere docendi fungantur in his Collegiis, prima certe lex erit, ut supremum omnis scientiae principium suspiciant et diligant, veritatem scilicet, quae pretiosissimum animi bonum et illud societatis vinculum efficit, quo omnis doctrina ingeniarum et humanarum artium continetur, et quae rivos suos ex uno fonte, Deo videlicet, et radios suos tanquam ex increati et divini solis splendore derivat, modo utique diverso et cuilibet scientiae peculiari. Veritati itaque, quae revelationi omnino consensit, indagandae et funditus acquirendae omnes impendant vires; et ei cognitae et acquisitae, evitatis errorum commentis, fidele ac generosum verbo scriptisque testimonium praestent.

127. Studiosos autem iuvenes, horum Institutorum alumnos, paterne monemus in Domino, ut muniorem ad quae obeunda proxime praeparantur, gravitatem nunquam non prae oculis habentes, summam quidem industriam profectui in litteris impendant; dum vero scientiis vacant, supereminentis scientiae Iesu Christi non obliviscantur, ex qua omnes reliquae disciplinae decorem et incrementum hauriunt. Ideo quaecumque bona et egregia, quae in primo studiorum curriculo exercuerint, perseverantes custodiant, et hominis christiani partes viriliter impleant, ut quantum in scientiarum cultura, tantumdem et vel plus in virtutis studio profecisse dignoscantur. Haec enim est illa sapientia, de qua dicitur: « Praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius; super salutem et speciem dilexi illam et proposui pro luce habere illam; quoniam inextinguibile est lumen illius »¹.

128. Volumus denique ut omnes Ordinarii et clerus et populus, mente saepe recogitent, quae Leo XIII de Studiorum Superiorum Institutis nuper edocuit. Liberalitati catholicorum commendans, Collegia praedicta et rationem studiorum in iisdem ampliari desiderans, ipse Pontifex addit haec aurea verba: « Omnis enim eruditio manca sit, si nulla recentiorum disciplinarum accesserit cognitio. Videlicet in hoc tam celeri ingeniorum cursu, in tanta cupiditate sciendi tam late fusa, eademque per se laudabili atque honesta, anteire decet catholicos homines, non subsequi »².

¹ Sap. VII, 8, 10.

² Ad Episcop. Americae Septemp. Stat. Confoeder., 6 Ian. 1895. Idemque asserit alibi similia.

CAPUT III.

De Associationibus Catholicis.

129. Quoniam catholicae associationes ad Religionis profectum plurimum conferre valent bene ordinatae, dicente ad rem Leone XIII: « In hunc finem non parum profecto confert pias illas Consociationes moderare et provehere, quae magno rei catholicae bono nostra maxime aetate constitutae sunt . . . Constanti enim experientia compertum est, mutuis exemplis singulorum animos incendi, et multorum in unum collatis viribus et consiliis plura ac maiora percipi opera bona: frater enim qui a fratre adiuvatur, quasi civitas firma »; Synodus Provincialis nostra de huiusmodi Associationibus statuit:

130. Commendamus speciatim sequentes Associationes in Provincia diffusas:

1.^a Sancti Francisci, seu tertium Ordinem, qui inter nos, Dei gratia, floret, quique a D. N. Papa Leone XIII velut antidotum societatum secretarum est commendatus.

2.^a S. Dominici, ac praecipue Confraternitatem Sanctissimi Rosarii, cuius devotio ad interimendas haereses probatissima est.

3.^a S. Iosephi, purissimi Virginis Mariae Sponsi, Confraternitatem quae apud nos inter alia, pro scopo habet etiam clericorum pauperum educationem promovere et catecheses facere in pagis et oppidis praesertim.

4.^a Societatem Sancti Vincentii a Paulo ubique in Provincia diffusam, et etiam a S. P. Leone XIII commendatam contra Massonum sectam.

5.^a Societatem Sanctae Infantiae pro pueris inter infideles redimendis ac educandis.

6.^a Societatem Catholicam Doctrinae Christianae; quam uberrimos fructus inter nos producere videmus.

7.^a Associationes opificum Sancti Spiritus et Illm̃i s. m. « Alcalde », quae praecipue adhuc evolvuntur.

131. De Associationibus quae aliis in locis erectae sunt, optamus ut in Provincia nostra fundentur sequentes:

1.^a Societas B. Mariae SS. de Guadalupe, Ditionis nostrae carissimae Patronae Primariae, cuius nominis invocatio mexicanis cunctis inservire debet ad omnia praelia Domini praelianda.

2.^a Sanctae Familiae Sodalitas, a Leone XIII specialiter laudata, ut exemplar familiae christianae sit in societate hodie a Naturalismo et Rationalismo laborata et fracta.

3.^a Congregationes B. Mariae Virginis pro iuvenibus praesertim scholaribus, novissime ab eodem Pontifice plurimum commendatae.

4.^a Sodalitas vel D. Pauli Apostoli, vel S. Caroli Borromaei, vel etiam alia similis, ad fovendum et propagandum prelum catholicum, sive per libros sive per opuscula et ephemerides de Apologetica tractantes.

5.^a S. Francisci Xaverii Consociatio, erecta in Belgio ac per multas regiones propagata, pro roborandis in fide atque in vita christiana conservandis operariis.

6.^a Consociatio ad artem christianam promovendam praesertim sub respectu fidei.

7.^a Coetus, Oratoria vocati, quibus adolescentuli, periculis amotis, in pietate et bonis moribus confirmantur et adversus propagationem errorum hodiernorum et Protestantismi et Rationalismi ac Societatum clandestinarum insidias muniantur.

8.^a Societas Iuventutis Catholicae, praecipue illius, quae studia praeparatoria et superiora colit.

9.^a Sodalitas Missionariorum pro Indigenis nostrae Ditionis.

10.^a Consociationes aliae iuniorum opificum, et separatim adultorum; quorum omnium coetibus, in urbibus praesertim et oppidis frequentioribus, ut praeficiantur oportet semper sacerdotes, qui sincerum zelum prae se ferant et optimo exemplo prae luceant.

132. Omni pariter studio Congressus Catholicos Provinciales, Dioecesanos et Parochiales, plurimum hodie commendatos a Leone XIII, et Comitatus Permanentes tribus his ordinibus respondententes, vehementer optamus institui per cunctam Provinciae Guadalaxarensis regionem.

133. Prae oculis quoque habeantur ab omnibus quae circa sodalitates catholicas Leo XIII inquit sequentibus verbis: « Ad hanc alendam augendamque experrectam virtutem curare ac providere opus est, ut numero, consensu, efficiendis rebus floreat, lataeque amplificentur societates, quibus maxime propositum sit fidei christiana virtutumque ceterarum retinere et incitare studia. Tales sunt consociationes iuvenum opificum quaeque constitutae sunt aut coetibus catholicorum hominum in tempora certa agendis, aut inopiae miserorum levandae, et tuendae dierum festorum religioni, et pueris ex infima plebe erudiendis, aliaeque ex eodem genere complures »¹.

134. Episcoporum tamen est considerare, circa societates praedictas, quid maxime in quolibet loco fieri conveniat; ne una societas alteri iam existenti et aequae

¹ Leo XIII, Encycl. ad Episc. Ital. *Etsi nos*.

utili impedimento fiat, et nimietate operum zelus fidelium deficiat potius et languescat.

135. Optamus denique ut omnes catholici mutuum sibi iuvamen praestent, ad Ecclesiae bonum singuli pro uniuscuiusque viribus laborantes; alius ingenium scientiamque ad Ecclesiae causam convertat; alius eloquentiam vel facundiam, qua scriptis, qua voce; alius auctoritatem erga subditos et domesticos vel influxum, quo pollet, in societate; alius divitias impendat ad promovendum pia opera, christiana Instituta, scripta catholica, etc. Unusquisque, negotiatoribus per negotia, operariis per laborem, cunctis demum catholicis potius faveat, quam impiis; et saltem unusquisque suis precibus alios iuvet, suoque exemplo, se ostendendo verum Ecclesiae filium, obedientem eius legibus, et reluctantem cuilibet iniunctioni adversae Deo eiusque Ecclesiae.

CAPUT IV.

De catholico prelo.

136. Cum in dies crescere videamus in Ditione nostra tum scribendi licentiam, tum insatiabilem aviditatem legendi, ita ut ex hoc librorum et ephemeridum scriptores domini vere videantur opinionis publicae, eamque in quoscumque errores adducere valeant, et reapse magna ex hac parte adducant, et hic, uti in caeteris, valde sit deplorandum filios huius saeculi prudentiores esse filiis lucis; et quia ex debito pastoralis officii nihil ex parte nostra praetermittendum est, ut libri salubres, sanae doctrinae, et qui vere prosint legentibus, propagentur et disseminentur inter fideles nobis commissos, tanto maiori studio quo magis in dies augmentur

conatus et prope incredibilis diligentia haereticorum et sectariorum hominum, qui tempus, ingenium, pecunias et labores eo conferunt, ut detestabiles contra Deum, sanctam Ecclesiam, catholicam fidem et honestos mores libellos pene infinitos ubique locorum palam vel subdolè introducant, ut quod diabolus insidiis suis, artibusque nondum est assecutus, ipsi libellis suis perficiant, animasque catholicorum, fide deleta, moribusque corruptis, in perpetuum interitum adducant; Synodus haec Provincialis, tum ad prelum catholicum in Provincia fovendum, tum ut ipsum prelum facilius recto tramite semper incedat, quae sequuntur statuit:

§ I.

DE PRELO CATHOLICO FOVENDO.

137. Ad prelum catholicum fovendum, ante omnia recogitari ab omnibus iubemus quae S. P. Leo XIII enixe his verbis commendat ¹: « Qui capitali odio ab Ecclesia dissident, scriptis editis decertare, iisque tanquam aptissimis ad nocendum armis uti consueverunt. Hinc teterrima librorum colluvies, hinc turbulentae et iniquae ephemerides, quarum vesanos impetus nec leges frenant, nec verecundia continet. Quidquid proximis his annis per seditiones et turbas gestum est, iure gestum esse defendunt; dissimulant aut adulterant verum; Ecclesiam et Pontificem quotidianis maledictis falsisque criminationibus hostiliter petunt, nec ullae sunt tam absurdae pestiferaeque opiniones, quas non disseminare passim aggrediantur. Propterea scripta scriptis oppo-

¹ Encycl. *Etsi nos*, 15 Feb. 1882.

nenda sunt, ut res quae potest plurimum ad perniciem, eadem ad hominum salutem et beneficium transferatur, et inde remedia suppetant, unde mala venena quaeruntur ». Dein quae sequuntur praecipimus:

138. Quoniam ephemerides quotidiano suo commercio unacum rerum novarum nuntiis animos doctrinis variis imbuunt et quasi satiando implent, summa cura adhibeatur, ut, eliminatis falsis et perniciosis foliis, illa potius habeantur et legantur, quae ad veritatem pietatemque parant. Eo sane modo etiam implebuntur vota Sanctissimi Domini nostri Leonis XIII, cum ad Episcopos Lusitaniae, similibus in adiunctis versantes nuper scribebat et animadvertibat: « Plurimum iuverit, si cura ductuque vestro diaria publicentur, quae malis venenis undecumque oblati opportune medeantur, suscepto veritatis religionis patrocinio ».

139. Optandum foret ut tam fidelium, quam sacerdotum zelus studiaque concurrerent ad erigendas in variis paroeciis, caute tamen et prudenter, bibliothecas ad mutuandos libros, opuscula, et ephemerides; unde omnes absque periculo salutis, legendi cupiditati, quae omnes ubique invadit, possent facere satis per scripta vere utilia, tum de sacris et religiosis, tum de profanis rebus, et ad honeste relaxandos quoque animos, vel gratis vel exiguo pretio eis tradita.

140. In aliis locis et oppidis, ubi id expedire visum fuerit, aliquem pium designare virum oportet, qui cum catholicis editoribus relationem instituens, mediator sit inter eos et loci fideles ad praefatos libros et opuscula et folia prompte et commode habenda,

141. Catholicos vero divites hortamur in Domino ut subsidia praebeant, ad promovendum scripta catholica et, speciali modo, ob necessitatem praesentem, epheme-

rides bonas, quo melius hac in re ipsis notitiis superare improbas possint.

142. Eos insuper viros sive clericos sive laicos, qui necessariis dotibus pollent, in Domino provocamus et invitamus, ut quocumque potuerint modo, sive scribendo, sive adiuvando scriptores cum opportunis notitiis, in propugnationem fidei et morum honestatis vires impendant, scientes optimum et dignissimum opus esse invictae veritatis praeconium. Praefata christiani fervoris conamina optimum, coniuncta plurium operatione, Deo largiente, effectum sortientur.

143. Parochis et Sacramenti Poenitentiae ministris, enixe commendamus, ut nihil omittant, ut boni ac salutare libri, qui non modo pietati et instructioni, sed et honestae etiam relaxationi absque ullo salutis periculo inserviant, fidelibus prudenter indicent et commendent.

144. Instituendis ephemeridibus catholicis, iis maxime quae dominicales vocantur paginae, et bonis libris in usum populi edendis et mutuandis, visum est nobis, laicorum societates perutiles esse et ab Episcopis quam studiosissime adiuvari debere, ad earum regimen opportunis statutis normis.

145. Pro iuventute vero libri comparentur, non phantasiae, etiamsi pii videantur, nimium indulgentes, sed tenoris potius historici, vel qui aliis modis salubriter instruunt; simul autem continue vigilandum, ne nimis frequenti librorum porrectione periculosus legendi pruritus excitetur.

146. Omnes tum pietate, tum doctrina praestantes huius Ecclesiasticae Provinciae viros, et praesertim sacerdotes, obsecramus in Domino, ut, contraria contrariis curando, parvae molis scripta, ab Episcopis antea probata, edant in aedificationem fidei, ac salutarem populi

instructionem ac, ut eadem scripta, uti et alii incorruptae pariter doctrinae probataeque utilitatis libri ab aliis conscripti, prout locorum aut personarum ratio suggesserit, inter fideles diffundant.

147. Quoniam vero non desunt Patria in nostra societates et typographi editores, qui evulgatione libellorum sanae doctrinae zelantes adlaborant, eosque commo pretio dant; ut ab omnibus facile comparari queant, illos magnopere commendamus. Parochi autem caeterique sacerdotes fideles adhortentur ut libros, opuscula, et folia, quae ab illis eduntur, comparare studéant.

148. Eos insuper viros sive clericos sive laicos, qui facultatibus necessariis pollent, in Domino provocamus et invitamus, ut, sive adiuvando scriptores et editores, sive typographias catholicas stabiliendo, praesertim in civitatibus episcopalibus, sive quotquot possint, in propugnationem fidei et morum honestatis vires, ingenium ac pecuniam impendant; scientes magnam benedictionum segetem sibi reservatam haberi a Domino dicente: « Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates »¹.

149. Non minori studio procurandum est in omnibus Provinciae Dioecesibus piam ephemeridem titulo « Hebdomada Catholica », vel alio simili, in lucem prodi, quae gratis fidelibus distribuatur, in qua ipsi utilia et practica quoad fidem, pietatem, et honestatem inveniant et legant: bonum semen seminabitur, quod, benedicente Domino, fructum afferet uberrimum. Ad hoc sanctum opus perficiendum, caritatem et piam divitum largitatem invocamus eisque dicimus: « Honora Dominum de tua substantia »²; « potens est autem Deus

¹ Dan. XII, 3.

² Prov. III, 9.

omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum »¹.

150. Ut abundantius lux fidei diffundatur, solliciti sint Christi sacerdotes, ut, sive in scholis, sive in catechesis exercitiis, sive in congregationibus, quarum cura ad ipsos pertineat, libri conspicui, folia religiosa et piae imagines praemio sint virtuti et scientiae.

151. Optandum foret, ut cunctis in Dioecesibus, aut saltem in Metropoli nostrae Provinciae, institueretur, in Seminariis et in Studiorum Superiorum Institutis, schola scriptorum ephemeridum, quae ab Ordinario normam acciperet, ubi nonnulli iuvenes solida pietate insignes et ad hoc nobile munus scriptoris exequentium dotes prae se ferentes, in arte pro Religione perite certandi edocerentur, sub fine tantum studiorum et absque ullo eorundem studiorum nocumento. Hac in palaestra magistri probati prae oculis haberent, tanquam huius disciplinae basim, monita omnia, quae ad scriptores catholicos directa summis a Pontificibus et a Conciliis emanarunt, et plurimum adiuverent exempla virorum peritissimorum hoc litium in genere, ac discreto lectio, Revistarum, diariorum et foliorum optimorum, quae in die prae luceant inter huiusmodi publicationes.

152. Ordinarii denique, ad hucusque dicta in praxim reducenda, aptas normas vel praecepta quamprimum prudenter expedient pro creando vel fovendo prelo catholico, considerantes necessitatis huius gravitatem, gratias spirituales fidelibus et Christi militibus in hoc praelio decertantibus concedentes, et excogitantes media opportuna, colligendi necessariam pecuniam ad foundationem

¹ Cor. IX, 8.

et sustentationem huius operis; et nunquam oblivioni tradentes, quod scriptores pauperes, qui in hunc laborem tempus et actionem suam consecrant, libenter etiam remunerari debent, et quod ephemerides, ut stabiliantur saltem per tempus aliquod, necessario egent auxilio pecuniae ad sumptus suos cooperiendos; sic vitabitur circulum vitiosum, id est, quod ephemerides non plures habeant subscriptores, quia non sunt illis optimi redactores, et vicissim quod non habeant scriptores meritissimos, quia subscriptores plurimi non sunt illis.

§ II.

DE SERVANDIS A SCRIPTORIBUS CATHOLICIS.

153. Scriptores catholicos laudantes, qui recto spiritu ducti ac sincero veri et boni amore flagrantes, tanquam Religionis assertores, dogmata fidei, Ecclesiae iura ac libertatem morumque catholicorum sanctitatem vindicare ac tueri conantur, et Ecclesiae ita sunt adiutores ad consummationem sanctorum in aedificationem Corporis Christi, rem opportunam et pastoralis sollicitudinis dignam existimamus, monita quaedam, vi auctoritatis divinae nobis creditae ac in spiritu caritatis, qua omnes in Christo amplectimur, illis tradere; non quidem ea mente, ut scribendi studium comprimatur, vel rescindatur legitima in dubiis opinandi libertas; verum ut via securior pateat, et scopulos undequaque imminentes declinent, in quos nonnulli, minus caute ambulantes, saepe saepius impingunt, atque inde ex eorum scriptis uberiores Ecclesia fructus percipiat. Ad hoc summopere nos allicit adhortatio et exemplum Sanctissimi in Christo Patris et Domini Leonis XIII, qui

pluries monita catholicis tam librorum quam ephemeridum scriptoribus, per Episcopos dare dignatus est.

154. Experientia quotidiana compertum est, concertationes non solum de religione, sed etiam de scientiis, de historia ac praecipue de politica in aestuosas et contumeliosas disceptationes saepissimae declinare; unde ut optime ait S. Franciscus Salesius, plus laeditur caritas, quam illustratur veritas. Summo igitur studio vitetur haec decertandi ratio, quae omnino aliena est a spiritu defensorum veritatis, quos dedecet esse contentiosos, immo et discipulorum Christi, qui non est dissensionis Deus, sed pacis. Opportunum itaque censemus in memoriam omnium revocare verba Benedicti XIV: « Cohibeatur scriptorum licentia, qui, ut aiebat Augustinus, sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est, aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant atque traducunt. Non feratur omnino privatas sententias, veluti certa ac definita Ecclesiae dogmata a quopiam in libris obtrudi, opposita vero erroribus insimulari; quo turbae in Ecclesia excitantur, dissidia inter doctores aut feruntur aut foventur, et christianae caritatis vincula persaepe abrumpuntur »¹. Haec sapientissimi Pontificis verba commemorans Sanctissimus D. Leo XIII ait: « Plena sapientiae ac gravitatis praecepta doctis tradidit... immo etiam exemplar ad imitandum proposuit Sanctum Thomam Aquinatem, qui pacato semper stilo et gravi dicendi forma utitur, non solum cum docet, veritatemque argumentis communit, sed etiam cum adversarios urget et insectatur. Placet nobis haec eadem Decessoris Nostri praecepta iterum sapientibus commendare, idemque exemplar exhi-

¹ Const. *Sollicita*, 9 Iul. 1753.

bere »¹. « Pulchrum est, eos, qui catholicum nomen scriptis quotidianis defendunt, prae se ferre amorem veritatis constantem, minimeque timidum; sed simul oportet, nihil eosdem suscipere, quod bono cuiquam viro iure displicet, neque ulla ratione temperantiam deserere, quae cunctarum comes debet esse virtutum. In quo nemo sapiens probaverit, aut stilum vehementem plus quam satis est, aut quidquam vel suspiciose dictum, vel quod temere a personarum obsequio indulgentiaque discedere videatur »².

155. Caritatem ergo in omnibus sectentur ii, qui christiana mente scribere, immo et disceptare volunt; non quidem pavidam illam falsamque caritatem, quae, ut hominibus placeat, Deo displicet, fovet errores, veritatem erubescit, sed eam, quae veritatem simul et pacem diligens, omnia pro veritate, omnia pro iustitia, omnia pro Ecclesia et pro fratrum salute tolerare et libenter subire novit; quae etiam sine superbia de veritate praesumens, sine saevitia pro veritate certans, errantes, sanare, potius vult, quam oppugnare; quae tandem, quantum fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habet, quod ut assequatur, de incertis non iudicat, incognita non confirmat, proclivior est ad bene credendum de homine, quam ad male suspicandum, non se multum dolet errare, cum bene credit de malo, perniciose autem, cum male sensit forte de bono.

156. Similiter magnam cautelam adhibeant, ne in refutandis malorum calumniis et dicteriis, eorum adiutores fiant, et scandala cognita faciant lectoribus suis, quae alias non cognovissent, et impiorum scriptis eorum animos inficiant, praesertim in iis quae ad fidem aut

¹ Leo XIII, epist. ad Episc. Belgii.

² Leo XIII, epist. ad Episc. Provinc. Taurin., 25 Ian. 1882.

mores spectant; iacula enim quacumque manu emissa facile vulnerant; vulneris sanatio non fit nisi dexteritate medici.

157. In particulari, ephemeridum redactores ne levius rumores quoscumque referant, qui hodie per telegraphum quotidie sparguntur; attendant thelegraphos fere omnes in manu esse inimicorum Ecclesiae, iudeorum etc., et saepissime inservire propagandis falsis nuntiis in odium Ecclesiae, v. gr. circa acta et agenda a Sancta Sede, circa valetudinem Romani Pontificis etc. ad lucra iniusta procuranda ex animorum commotione, etc. Similiter cauti sint in repetendis notiis de factis quibuslibet scandalosis, divortiis, duellis, caedibus, ac saltem fugienda ea omnia, quae imaginationem legentis nimis excitent et non paucis sunt offensionis et periculo.

158. Sciant quoque scriptores catholici, arduum esse munus suum, multum laboris et studii, multum etiam humilitatis et caritatis requiri, ut bene illo fungantur; insuper debere ipsos quidem opiniones diei et multitudinis consulere, minime tamen ab illis abripi, sed despiciere et confutare et oppugnare quaecumque periculosa fuerint vero Ecclesiae bono, societatis, familiae. Sed si arduum istud officium est, quia aggressionibus et telis, calumniis et persecutionibus malevolorum illos obiicit, ex altera parte nobilissimum, summe meritorium et gloriosum est inter primarios numerari milites Christi, ut Ecclesiae cooperatores ad fidelium salutem et Dei gloriam. Pro corona ipsi subiiciantur verba haec S. P. Leonis XIII in Encyclica *Immortale Dei*: « Commune omnium catholicorum scriptorum erit propositum: religionem et patriam conservare. Hoc proposito duas res praeclarissimas consecuturi sunt; alteram, ut adiutores sese impertiant Ecclesiae in conservanda propagandaque

sapientia christiana; alteram ut beneficio maximo afficiant societatem civilem, cuius, malarum doctrinarum cupiditatum causa, magnopere periclitatur salus ».

159. Ob oculos etiam habeant verba sequentia, quae circa munia scriptorum ephemeridum catholicarum profert S. P. Leo XIII in Encycl. *Etsi nos*: « Idem omnes in scribendo spectent, quod maxime expedit, constituent iudicio certo et efficiant; nihil ex his rebus praetermittant, quarum utilis atque expetenda cognitio videatur: gravitate et moderatione dicendi retenta, errores et vitia reprehendant, sic tamen ut careat acerbitate reprehensio, personisque parcat; deinde orationem adhibeant planam atque evidentem, quam facile queat multitudo percipere ». Et, in allocutione ad Catholicarum Ephemeridum Repraesentantes, similia docuit: « Nullo igitur timore, inquit, nullisque minis absterreantur catholici scriptores (qui suorum mercedem laborum ad vitam reservant aeternam) a detegendis, confringendisque per argumenta omnibus erroribus, illis speciatim qui in *Syllabo* contineri deprehendatur ». Et, cum ab impugnandis talium errorum propagatoribus non abstinere dixisset S. Pontifex, addidit, talem decere catholicorum scriptorum dicendi rationem, « quae nimirum neque nimia aut intempestiva sermonis acerbitate legentium animos offendat, neque partium studio » aut « privatorum commodis communi bono posthabito deserviat. Segnes enim et ignari veritatis defensores potius hanc produnt quam tradunt, et prudentia carnis inimica est Deo ».

SECTIO II. DE ECCLESIA CHRISTI

160. Quoniam Christus non modo tradidit religionem doctrinam, sed Ecclesiam quoque seu coetum religionum fundavit sub forma verae et strictae societatis, quae esset veluti Religio vera in concreto, seu corpus ubi Religio ipsa vivere et operari posset: postquam de Fide Catholica tractans, in huius Partis Sectione Prima Synodus nostra aliqua praecepit, nunc, in Secunda Sectione, iuxta praedictum, de Christi Ecclesia, ipsiusmet Fidei oraculo, agendum est nobis, ut propositum, quod circa Dogma Concilium Provinciale I Guadalaxarense in praxim adducere cogitavit, perficiatur.

161. Tria vero tantum quoad Ecclesiam Christi summarim volumus attingere tribus in sequentibus Titulis: 1° De Ecclesia natura et constitutione; 2° De Summo Pontifice; 3° De Sacris Ecclesiae Romanae Congregationibus.

TITULUS I.

DE ECCLESIAE NATURA ET CONSTITUTIONE

162. Unigenitus Dei Filius societatem in terris constituit, quae Ecclesiae dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat; ac Deus ipse magistratus assignavit, qui eidem potestate praesent. Haec societas, quamvis ex hominibus constet non secus ac civilis communitas, tamen, propter finem sibi constitu-

tum atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis; atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili; et quod plurimum interest, societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque Conditoris sui omnia in se et per seipsam possideat. Sicut finis, cui tendit Ecclesia longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia. Hanc igitur Matrem nostram et Magistram infallibilem agnoscimus, atque confitemur veram esse et perfectam societatem, supernaturalem ac divinam origine, fine, mediis, auctoritate, ideoque supernam et omnibus humanis societatibus superiorem, cuius est iure et natura eius praesse, regere et gubernare, leges ferre, leges sancire, devios punire et bona mobilia et immobilia ad eius constitutionem pertinentia tanquam perfecta societas possidere. Hinc igitur:

163. Omnes errores catholicae doctrinae circa Ecclesiam adversantes reiicimus et damnamus, sicut in suis Apostolicis Litteris, ac in Syllabo, Encyclicae *Quanta cura* adnexo, Pius IX ven. mem. damnavit.

164. Omni studio inculcandum est Ecclesiam, etsi a civili societate diversam, non illi adversam esse: utriusque enim societatis, licet modo diverso, pro diverso eorum ordine ac fine, auctor cum sit Deus, ex ipsa rerum natura, nec pugna, nec oppositio inter easdem haberi potest; et quamvis Ecclesiae et civilis reipublicae potestas sit distincta, amicum tamen consortium optat Ecclesia et non nisi infausta et religioni et principatui ominatur ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discipiunt.

165. Volumus ergo ac monemus, ut hanc veram doctrinam de Christi Ecclesia discant et firmiter teneant fideles nostrarum Dioecesium.

166. Denique ad inculcandum verum conceptum, quem omnes efformaturi sumus nobis de Christi Ecclesia, nihil tam aptum quam sublimis illa Epistola Encyclica circa Unitatem Ecclesiae, a S. P. Leone XIII nuper edita, cuius lectionem ac meditationem cunctis fidelibus nobis commissis.

TITULUS II.

DE SUMMO PONTIFICE

167. Patres huius Provincialis Synodi, memores verborum D. Bernardi, ubi egregius scriptor, in suo 2^o Libro *De Consideratione*, cap. 8^o. docens ac explicans doctrinam, quam semper Ecclesia Romana tenuit circa R. Pontificem, sic ait, Papam Eugenium III alloquens: « Tu es cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli ianitores, et gregum pastores: sed tu tanto gloriosius quanto et differentius utrumque prae caeteris nomen haereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete commisse sunt oves? *Si me amas, Petre, pasce oves meas.* Quas? Illius vel illius populi, civitatis, aut regionis, aut certi regni? *Oves meas*, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes?

Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte praesentes caeteri condiscipuli erant, cum committens uni unitatem, omnibus commendaret in uno grege et uno pastore, secundum illud: *Una est columba mea, formosa mea, perfecta mea.* Ubi unitas ibi perfectio... Ergo iuxta canones tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: tua extenditur et in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa extiterit, tu Episcopo coelum claudere, tu ipsum ab episcopatu deponere, etiam et tradere Satanae potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis »; una voce cum gregibus suis firmiter tenent ac docent:

168. Romanum Pontificem verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput, et omnium christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

169. Romani Pontificis iurisdictionis potestatem quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli, quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo Pastore.

† Sixt. V, Const. *Immensa*, 22 Ianuar. 1588.

170. Ecclesiam ideoque Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere primatum.


171. Iuxta Vaticani demum Concilii definitionem, docemus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, infallibilem esse, et huic definitioni contradicentes anathemate damnatos.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS
TITULUS III.
DE SACRIS CONGREGATIONIBUS S. ECCLESIAE
ROMANAE

172. Quoniam R. Pontifex non tantum per seipsum, in Encyclicis, Constitutionibus, Bullis, Brevibus, etc., sed etiam per sacras Congregationes sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ab ipsamet Apostolica Sede constitutas, ad faciliorem et promptiorem universae Ecclesiae causarum et negotiorum expeditionem, exercet supremam suam potestatem, illarum Congregationum decretis et decisionibus summa pietate adhaerendum est et parendum. Illae siquidem de levioris momenti et frequentioribus quaestionibus nihil decernunt aut definiunt, nisi secundum disciplinam apud Sanctam Sedem vigentem et probatam, nihilque statuunt de gravioribus negotiis, nisi de mandato Summi Pontificis, cuius ad iudicium causam referre tenentur ex Apostolicarum Constitutionum praescriptis. Unde

173. Congregationum Sacrarum decreta, quae praesertim Supremus Pastor expresse confirmaverit, habere vim legis cuique perspectum est.

174. Curabunt ergo Episcopi ut decisiones istae quae, sive cum pro urbe et orbe feruntur, sive cum Dioecesim propriam aliquo modo attingunt, sive cum pro casibus particularibus datae, regulam tamen agendi generalem exhibent, ad sui cleri notitiam adducantur, et ab omnibus, iuxta earum vim ac tenorem, religiose serventur.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PARS II.

DE MORIBUS

175. Quoniam apparuit « gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum », et quoniam haec ipsa, quae dilecto suo Tito discipulo scripsit Apostolus Paulus, addens: « Haec loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio »¹, Nobis etiam dicta reputantes, toto animo implere cupimus, Nobis attendentes, et universo gregi in quo Nos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo; Patres huius Concilii Provincialis Primi Guadalaxarensis, postquam de Dogmate quae supra dicta sunt Prima in Parte decrevimus, nunc de salute animarum, pro quibus Deo rationem reddituri sumus, paterna caritate solliciti, monita ac praecepta christianae vitae, tum Clero tum Populo Nobis commisis, tradere debemus et volumus, ut, in via recta ambulantes, et non declinantes neque ad dexteram neque ad sinistram, per bona opera certam faciant electionem et vocatio-

¹ Tit. II, 11-15.

nem suam, et salutem consequantur, quae est in Christo Iesu Domino Nostro. Hanc inde Partem Synodis nostrae secundam, in duas Sectiones partiemur; agentes: I. De Moribus Cleri; II. De Moribus Populi.

SECTIO I.

DE MORIBUS CLERI

176. Ut ordinate, prout decet, procedamus, primo Perfectionem Clericalem, deinde media, quibus acquiritur, ac demum Sanctitatem inde defluentem, tribus titulis exponemus.

TITULUS I.

DE CLERI PERFECTIONE

177. Adducentes primo illud S. Isidori, qui sacerdotem considerans sicut lumen mundi atque sal terrae, de ipso dicit: « Tam doctrina quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor. Nam doctrina sine vita arrogantem reddit; vita sine doctrina, inutilem facit. Sacerdotis praedicatio operibus confirmanda est, ita ut quod docet verbo, instruat exemplo. Vera est illa doctrina, quam vivendi sequitur forma. Nam nihil turpius est, quam si bonum, quod quisque sermone praedicat, explere opere negligat. Tunc enim utiliter praedicatio profertur, quando efficaciter adimpletur. Unusquisque doctor, et bonae actionis et bonae praedicationis habere debet studium, nam alterum sine altero non facit perfectum: sed praecedat iustus bene agere, ut possit bene do-

cere »¹: ac mente recolentes quod meminisse debet sacerdos se D. N. Iesu Christi coadiutorem esse, qui carnem assumens et multa patiens, postremo victimam se obtulit, ut nos eam perfectionem doceret, qua polere oportet eius ministrum, idem sacrificium ad altare offerentem sola offerendi ratione diversum, quod ipse in cruce primum obtulit; propter quod S. Prosper sacerdotem, mediatorem etiam appellans, ait: Ipsum esse « Ecclesiae decus, columnam firmissimam, ianuam civitatis aeternae, per quam homines ingrediuntur ad Christum »; Patres huius Provincialis Synodi, Cleri perfectionem exoptantes, in capite sequenti dicenda omnes huius Provinciae Clericos mente versari enixe in Domino precantur.

CAPUT UNICUM.

De vita et honestate Clericorum.

178. Clerico exemplum praeclarissimum fidelibus praebendum est; sic enim exigit sanctitas status ad quem, Dei misericordia, evehctus fuit. Nam Christianus populus, ait D. Thomas, semper intellexit, in clericis effulgere debere non mediocrem, sed excellentem Sanctitatem. « Ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens, ut, sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis »². Sic etiam generale et Sanctum Concilium Tridentinum³ clericos docet, dum ait: « Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Do-

¹ Lib. III, Sent. cap. 36 et 42.

² S. Th. Supp. quaest. XXXV, art. 1^o ad 3^m.

³ Sess. XXII, cap. 1, *De ref.*

mini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave moderatum ac religione plenum prae se ferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem ». Unde haec Provincialis Guadalaxarensis I Synodus, spiritui Universalis Ecclesiae sese inspirans, cupiens cum eodem Concilio Tridentino¹ « ut quae alias a Summis Pontificibus et a Sacris Conciliis de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comensationibus, lusibus ac quibuscumque criminibus, necnon saecularibus negotiis fugiendis, copiose ac salubriter sancita fuerunt: eadem in posterum iisdem poenis, vel maioribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur »; ut iugi rerum ordini consulat, ita distribuit materiam sequentibus decem paragraphis.

§ I.

DE CLERICALI CASTIMONIA.

179. Quoniam angeli nomine sacerdos in Sacris Scripturis appellatur, non modo ex Evangelii annuntiandi officio, sed etiam propter castitatem, ad cuius observantiam tenetur, S. Epiphano his verbis attestante: O castitas, quae similes homines angelis reddis: addente S. Cypriano, castitate hominem ipsi Deo similem fieri, (et vere, nam secus Dei repraesentator et similis dici non potest, quemadmodum nec angelus, dum carnali vitio est irretitus); Nos enixe in Domino clericis commendamus:

¹ Sess. XXII, cap. 1, *De ref.*

180. Ut omni cura vigilantique conatu ea quae a S. Canonibus et a Tridentina Synodo, praesertim de castitate, decreta fuerunt, ad Dei et Ecclesiae honorem et fidelium profectum, strictissime servent.

181. Ut non modo malum, sed et mali speciem vitare satagant, his maxime temporibus, cum haeretici et impii homines sinisteris oculis sacerdotis catholici conversationem spectant et suis dictis maculis aspergunt, ut a Sacramentis, a confessione praesertim, fideles arceant.

182. Hortamur etiam clericos, ut omnes quos famulatus gratia domi recipiant, sint bonis moribus conspicui.

§ II.

DE TEMPERANTIA ESUS ET POTUS.

183. « Noli avidus esse, inquit Ecclesiasticus, in omni epulatione, et ne te effundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquavit usque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est adiiciet vitam »¹. Et D. Paulus²: « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria ». Pertimescendum est enim ne tales in Dei viventis manus incidentes, in seipsis verum experiantur quod; « Neque fornicarii; neque ebriosi, regnum Dei possidebunt »: vel etiam mors illis superveniat, iuxta illud Evangelii³ « Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et cura huius vitae, et superveniat in vos repentina dies illa ». Quia vero Christi fideles sacerdoti, intemperantiae vitio oppresso, vene-

¹ Eccli. XXXVII, 34.

² Ad Eph. V, 18.

³ Luc. XXI, 34.

rationem denegant, quod boni miseratione lugent, maligni autem contemnendo gratulantur, omnesque ministerium inutile vel minus fructuosum dolent, cum sacramenta ad nullitatis periculum exponantur; et quia nihil maius lugendum est quam minister in Christi inimicum, propter scandala conversus; Provincialis haec Synodus decernit:

184. Iuxta Sacrorum canonum normas, sacerdotes intemperantes puniantur, immo quorum interest conscientiam de hoc cooneramus.

185. Similiter, in beneficiis conferendis, intemperantibus ne dentur beneficia, nec parochia ad interim, nec vicaria; sed potius eam praxim approbat Synodus arcedi a sacro ministerio ebriosos, ad Episcopi iudicium, nisi corrigantur.

186. Clerici quantum possint, saecularium convivia fugiant; et si aliquando necessitate cogantur, ut sacerdotes, graviter sese gerant, ne occasio detur ipsorum vel alterius ruinae.

§ III.

DE NEGOTIATIONE CLERICIS PROHIBITA.

187. Meminisse clericos adprecamur, Deo se omnino tradidisse, cum prima tonsura initiatos, his verbis sponderunt: « Dominus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es qui restitues haereditatem mea mihi »¹. Unde merito Apostolus sic de Clerici conversatione Timotheo scribebat: « Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit »². Et re quidem vera, huius saeculi negotia a Deo sacerdotem aver-

¹ Psal. XV, 5.

² II. Ad Timoth. II, 4.

tunt, dum animam in zelo et caritate frigescere faciunt et tempus in gloriam Dei et propriam aliorumque salutem impendendum, teritur. Sciendum est quod alius est finis militiae spiritualis, et alius est finis militiae corporalis: quia finis militiae corporalis est ut obtineat victoriam contra hostes patriae; et ideo milites debent abstinere ab iis quae abstrahunt a pugna, puta a negotiis et deliciis. « Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere »¹; sed militiae spiritualis finis est, ut victoriam habeat ab hominibus qui insurgunt contra Deum; et ideo oportet quod clerici abstineant ab omnibus quae distrahunt a Deo: haec autem sunt negotia saecularia, quia sollicitudo huius saeculi suffocat verbum. His vero doctrinis Synodus nostra innixa, quod sequitur clericis iubet ac decernit:

188. A saecularibus negotiis clerici sese abstineant, ut a Sacris Canonibus iamdiu decretum fuit et praesertim a SS. Pontificibus Benedicto XIV et Clemente XIII; quod si talia exercent, sciant se peccare et poenis a Sacris Canonibus decretis obnoxios esse. Clericis prohibita est mercatura, etiamsi per interpositam personam vel socium illam exercere praesumant.

189. Prae oculis versari debent prohibitiones aliae, quae, praeter mercaturam, iure continentur.

190. Quoad dubia de negotiis aliquibus exercendis a clerico, utrum sit negotium necne quod exercetur, standum S. Congreg. Conc. iussis, ut docet Benedictus XIV.

191. Caeterum si necessitas adsit, Episcopus de negotiis resolvat quod ei decere videbitur, iuxta Canonicas dispositiones.

¹ I. Ad Cor. IX, 25.

§ IV.

DE AVARITIA FUGIENDA.

192. Cum Sacerdos Christum verbo et exemplo imitari teneatur, eodem spiritu paupertatis quo Christus se gerere debet, nam secus sacratissimum ministerium avaritia inquinabit et fidelibus scandalo erit. Unde Provincialis haec Synodus, ad praecavendos huius vitii effectus, quod sequitur clericis meminisse praecipit:

193. Clericus in omnibus gloriam Dei quaerere, et divitias humanas spernere tenetur; populi enim magna in veneratione eos habent, qui non divitias, sed animarum salutem quaerunt.

194. Parochi et eorum Vicarii in Visitatione ad quam tenentur, non intuitu stipendii, sed caritate moti, in pagis vel oppidulis degentibus Confessionem et Eucharistiam praesertim paschali tempore, ubi ecclesia publica aut oratorium adsit, diligenter ministrent.

195. Curent sacerdotes ne domi in supellectili aliquid habeant, quod spiritum Evangelii dedeceat.

§ V.

DE SPECTACULIS A CLERO VITANDIS.

196. Quoniam sacerdos Minister est D. N. Iesu Christi, ideoque eiusdem dignum et sanctum populo Christiano exemplar esse debet, et in suis actionibus non nisi gravitatem, prudentiam, aliasque sacerdotales virtutes debet redolere, ut in omnibus Dei spiritu ducatur, cumque aliunde statui ecclesiastico absonum sit prorsusque damnabile omne quod immorale, quod Deo offensionem et ex quo fideles scandalizari possunt, vi-

dentes mala fieri ab iis a quibus sanam doctrinam bonumque exemplum accipere debebant; quod sequitur iubemus:

197. Consuetudo a clericis servetur numquam turpitudinis interveniendi.

198. A mundanis theatris scenisque nedum lubricis sed quibuscumque, sese abstineant; atque idem dicatur de choreis, funambulibus, saltationibus, concentibus pravis, cantilenis quibus aliquid pravum celebretur et similibus.

199. Nec recreationis causa cum flagitiosis frequens sit clericus, ne fidelibus murmurandi occasionem praebet.

200. Si vero aliquando clerici statuta haec praetergredi auserint, et contra sanctas consuetudines clericali statu dignas agere praesumpserint, ad iuris canonici rigorem puniantur.

§ VI.

DE ARMIS A CLERICIS NON PORTANDIS.

201. Meminerint clerici arma militiae nostrae non esse carnalia; sed orationes crebras quibus Deum quotidie exorare tenemur, ut difficillima munia clericalis status Dei gratia adimplere possimus: necnon virtutes quibus amorem, reverentiam, atque omnium adhaesionem pro animarum salute acquiramus.

202. Quapropter haec Guadalaxarensis Provincialis prima Synodus, Ecclesiae Universalis iussa subsequens, clericis arma portare prohibet.

§ VII.

DE VENATIONE A CLERICIS VITANDA.

203. In hac quidem Provincia numquam, Dei miseratione, clamorosa, ut vocant, venatio, quam a S. Canonibus prohibitam gravibus poenis invenimus, apud clericos in more fuit: sed vehementer nihilominus haec Synodus eosdem in Domino hortatur, ut minime tempus in Sacramentorum administratione curaque pastoralis impendendum, venatione, etiam sine strepitu, terere velint.

§ VIII.

DE LUSIBUS.

204. Quoniam Sancta Mater Ecclesia semper sollicita fuit a ludo clericos arcere, non quia suapte est illicitus, cum iuxta S. Thomam, si fiat modo debito et prohibitio aliunde non adsit, virtutis actus sit; sed quia clericus rectius ad animarum profectum studio vacabit, et exemplo suae sollicitudinis fideles ad bonum adificabit; haec circa ludum praescribimus:

205. Clericis, dummodo conditiones a morali scientia praescriptas servent, ad moderatam animi remissionem ludus non aleatorius, cum amicis bonae famae, et sine lucro aliquo, liceat.

206. Ubi autem ludus fieri non potest sine dedecore, ratione loci, personarum etc., omnino vitetur.

§ IX.

DE CARITATE CUM FRATRIBUS.

207. Si fideles saeculares tenentur ad mutuam dilectionem, potiori ratione Sacerdotes ad mutuum amo-

rem adstringuntur. Verus sacerdos diligit confratrem; dolorem cognoscit illius qui in ipso dominico agro laborat; et ipsa vocatione sua, Dei miseratione afflante, sacerdotes vere diligit et ab ipsis redamatur, magna cum fidelium aedificatione. Haec igitur animo sacerdotes alte defigant.

208. Cognoscetur in primis istius amoris testimonium, in correctione fratri impertienda et accipienda a fratre qui vult nostram sanctificationem; Sacerdos, ceu Christi in terris minister, propter Dei amorem et confratris correctionem, summa prudentia et humilitate agere debet; et, si delinquit ipse, correctionem sacerdotis amici, Deum et amicum benedicendo, acceptare tenetur.

209. Sit facilis Sacerdos ad sacerdotes confratres hospitio recipiendos, ad tristes consolandos, eorum mitigando dolores; ad spiritum demissum erigendum, ut tristis de tristitia sese eripiens, per semitam rectam fraterna caritate ducatur.

210. Necessesse est in primis ad caritatem fovendam, ut sacerdotes inter se murmurationem devitent. Quod si talis detur murmuratione, audientes ad caritatem erga detractum revocare non obliviscantur.

211. Sed maxime sacerdos attendere debet, ne coram laicis sacerdotis famae detrahatur, quod proculdubio scandalum illis est, et ratio qua de simili peccato respiscere nolint.

212. Sit sacerdos in pauperes, fratres suos, caritate plenus, ut omnes in illo exemplar agnoscant eorum quae praedicat. Meminisse oportet non parum caritatem iuvare ad peccatorum conversionem.

213. Inimicitiae inter sacerdotes prorsus vitentur. Offensus libenter parcat ut se praeceptum Christi

adimplere omnibus ostendat. Offensor culpam agnoscens, nolit moras reconciliationi mittere, sed christianaе humilitatis fidelis exactor, ingenua caritate offensionem reparat, nam odia inter ministros Ecclesiae funestissima dissidia non solum inter se, sed etiam inter fideles, cum gravi peccato ac Dei offensione, semper generant et sustinent.

ALERE FLAMMAM § X.
VERITATIS

DE TONSURA ET VESTE CLERICALI.

214. Grates Deo rependimus, quoniam Ecclesiae praecepta ac praecipue Tridentini et Mexicani III Conciliorum decreta, de hac re huius Provinciae clerici observare, quamdiu a civili gubernio prohibiti non fuerunt; et in hoc ipso tempore talarem vestem, pallium, tonsuram atque collare constanter deferunt. Quapropter Provincialis Synodus pauca praescribit his temporibus compossibilia.

215. Omnes clerici in vertice capitis tonsuram deferant: quod si quis sine legitima causa, per notabile temporis spatium, et post monitionem obsequi renuerit, iuxta Sacros Canones plectatur.

216. Ut clerici discernantur, iuxta ordinem susceptum, tonsuram minorem aut maiorem in capite deferant.

217. Suspecti habeantur qui, sine causa sufficienti, tonsuram non deferunt; et si alienae Dioecesis fuerint, Episcopus eos non sinat sacra peragere, nisi postquam illius Ordinarii litteras testimoniales acceperit.

218. Clerici barbam et comam more laicorum portare caveant, ne spiritus clericalis amittatur et in despectum Clerici habeantur.

219. Curent clerici, ut mos est sacerdotum probatorum, barbam radere et capillos frequenter tondere.

220. Simili cura vestes luxum redolentes, qui clericum non decet, vitentur; sicut et vestes impropriae, sordidae, maculis plenae, quae non minus dedecent. Tales Episcopus moneat et, si opus fuerit, parere cogat.

221. Ad Episcopi arbitrium puniantur clerici qui, sine legitima facultate, alio quam nigro colore veste utantur.

Clericus ubique veste a laicis discernatur; semper in Ecclesiis dum ministerium exercet, necnon domi, vestem clericalem deferre debet. Quod si in ministerii exercitio id negligat, ad nutum Episcopi plectatur.

222. Pallium vestemque nigri coloris clerici palam deferant, quandiu civiles auctoritates talari veste uti impediunt.

TITULUS II.

DE MEDIIS SACERDOTALEM PERFECTIONEM ACQUIRENDI

223. Postquam in sacra ordinatione abundantius quam fideles Sacerdotes gratiam acceperunt, auxilio divino quam optime cooperari tenentur, ut Sacerdotium proficuum sibi et caeteris evadens, eam, quam D. N. Iesus Christus perfectionem iniunxit, plene assequantur. Synodus vero haec Provincialis ex mediis quibus haec obtineri potest, sequentia recensendo quoad Orationem, Sacrosanctum Missae Sacrificium, Officii Divini Recitationem et Exercitia spiritualia, Sacerdotibus commendat.

CAPUT I.

De Oratione.

224. Cum oratio cunctis fidelibus necessaria sit, multo potius est Sacerdotibus, qui tot inimicos vincendos, tot pericula fugienda, tamque magnas difficultates superandas ex onere gravissimo accepto habent. Nam et peccatorum conversio, ut compertum est, non tam hominis dexteritate, quam piorum orationibus fit. Praeterquam quod Sacerdos ad tentationes plurimas status ipsius evadendas muneraque sanctissima adimplenda, diu noctuque orare tenetur. Unde:

225. Sacerdos SS. Patrum atque Doctorum Ecclesiae consilio obsequens, et Christi exemplum imitans, qui pernoctavit in oratione Dei spatium temporis quotidie, ad minus spatium dimidiae horae, orationi meditationique impendat.

226. Libros probatos de spiritu tractantes, quique ad mores componendos ex professo a commendatissimis gravissimisque viris scripti fuere, attente devoteque perlegat, ut mens spiritualibus rebus excolatur, et cor optimis affectibus exerceatur.

227. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, maxime quando omnium adorationi patet, invisere, sacerdotibus enixe commendamus, et in hoc saecularibus omnibus pietate ac devotione praesse oportet.

228. Devotionem et amorem erga Cor Sacratissimum Domini Nostri Iesu Christi sacerdos palam profiteatur propagetque, si zelum indefectibile pro aeterna populi christiani salute sibi dari desiderat.

229. Satagat etiam ut verus amor erga Deiparam cordi suo non desit et sese viris illis sanctissimis con-

formet, qui eius servitio magna patrarunt: sed singulatim haec Provincialis Synodus commendat ne recitatio SS. Rosarii quotidie cum familia omittatur, quo Sacerdos benedictiones abundantissimas obtinebit, Matre Purissima intercedente.

230. Consulimus quoque ministris Dei devotionem erga Beatum Iosephum, Sanctissimum B. Mariae Virginis Sponsum, Castissimumque eius Custodem, et ipsius Verbi incarnati Fidelissimum Nutritium, Sacrae ideoque Nazarenae Familiae Caput, a SS. Trinitate electum et honore cumulatum.

231. Caeterum, conscientiae puritas qua sacra ministeria exerceri debent, exigit ut saltem singulis hebdomadis ad sacramentalem confessionem Sacerdos accedat, quo absolutionis gratia spiritus recipiatur, tentationes superentur, et occasiones fugiantur.

232. Maxime sacerdotalem perfectionem iuvat quotidiana conscientiae discussio, non modo ut pravae cordis inclinationes coerceantur, sed praecipue ut Dei beneficia grato animo recolantur.

233. Laboribus suis sacerdos continuo praesentem Deum cernat, ut nihil offensionis admittat, et merita coram Deo accrescat.

CAPUT II.

De Sacrosancto Missae sacrificio.

234. Nunquam oblivisci debet Sacerdos Dominum N. Iesum Christum, ut semel in cruce Deo Patri sese offerret, se per innocentissimam vitam praeparasse; quo talem puritatem conscientiae eos homines habere voluit, queis eius circa fideles populos sacerdotio fungi obtigisset, ut vita et moribus eiusdem ministros se esse

faterentur. Unde S. Laurentius Iustinianus: « Accedat, inquit, Sacerdos ad altaris tribunal ut Christus; assistat ut angelus; ministret ut sanctus »¹. Et S. Ioannes Chrisostomus: « Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividendam, os quod igne spirituali repletur, linguam quae tremendo nimis sanguine rutilat? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem: hoc nos pascimur, huic nos unimur et facti sumus unum Christi corpus et una caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor oves proprio pascit cruore? et quid dico pastor? Matres multae sunt quae post partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus: sed ipse nos proprio sanguine pascit et per omnia nos sibi coagmentat »².

235. Quapropter, cum oporteat in primis ut offerentes tremendum Sacrificium, quam optime se disponant, de hoc subiecto monemus:

236. Purificet Sacerdos per sacramentalem confessionem conscientiam suam, ne - quod absit - gravis peccati reus ad altare accedat: quod si confessarii copia desit, actum contritionis praemittat cum animo quamprimum confitendi.

237. Praecedat oratio celebrationi missae, ut fructuose devoteque Sacrificium peragatur.

238. Similiter postquam celebraverit, saltem per horae quadrantem grates Deo rependere non omittat.

239. Consultum erit ut Sacerdotes se devota con-

¹ Serm. De Christ. Corp.

² Homilia 60 ad pop. Antioch.

sideratione vespere pridie spiritum suum parare curent, ut, pacatius meditateque celebrando, uberius de sacrorum gratia participant.

240. Curet Sacerdos ut in libro ad hoc destinato, in dies scribat se pro tali intentione missam celebrasse necnon applicandas cum dierum personarumque notitia; minime negligens praeceptum de numero missarum non accipiendi praeter condiciones a S. Sede praescriptas.

241. Graviter in altaris ministerio se gerat sacerdos, tanquam qui Christi vice fungitur in oblatione Sacrificii, veram humilitatem et modestiam in voce, in visu, in incessu, in omnibus praesefrens.

242. Nec nimia festinatione, quae spiritum devotione orbatum arguit, nec nimia tarditate, quae adstantibus taedio sit, in sacro peragendo procedat; sed ita ut caeremonias exacte adimplere possit.

243. Haec Prov. Synodus exoptat ut quotidie, qua fieri potest, sacerdotes Missam celebrent.

244. De puritate denique intentionis meminisse oportet, quae S. Bonaventura sequentia generaliter assignat: 1.º Ad maiorem Dei gloriam et in honorem B. Trinitatis; 2.º Ad honorem, reverentiam et amorem Christi, atque SS. eiusdem Vitae, Passionis et Mortis memoriam; 3.º In honorem et reverentiam B. Dei Genitricis Mariae et omnium Sanctorum et praecipue illius cui obsequium sacerdos praebere desiderat; 4.º Ad utilitatem Ecclesiae a Christo D. N. fundatae; 5.º In suffragium animarum in Purgatorio detentarum, et ad chreticularum necessitates alleviandas; 6.º Ut in nobis quotidie amor divinus crescat; 7.º Ut pro peccatis Deo satisfaciamus; 8.º Ut Domino grates rependamus pro beneficiis acceptis; 9.º Ut a Deo maiori gratia in eius servitium Sacerdotes donemur, Christi meritorum facti

participes; 10.º Ut tandem Christo induti, clamare possimus: Vivo ego, iam non ego; vivit vero in me Christus.

CAPUT III.

De Officio Divino persolvendo.

245. Prae oculis clericorum sistimus, tanquam Synodi huius proposito congruens, quod sequitur et sciri et agi oportet de obligatione, intentione et attentione in Officii Divini solutione, ad quam, ex praecepto et nomine Ecclesiae, quidam clerici sub gravi tenentur, nisi impediti aut dispensati legitime fuerint.

246. Hi sunt omnes in sacris constituti et beneficiati, etiamsi sacros ordines non receperint. Isti vero, si absque legitima causa officium non persolverint, restitutioni etiam ante iudicis sententiam, pro rata omissionis, tenentur. Animarum vero pastor propter labores ordinarios non eximitur.

247. Requiritur intentio sive actualis, sive virtualis.

248. attentio etiam adhibenda est, sive ad verba proferenda, sive ad sensum capiendum, sive ad Deum laudandum et honorandum.

249. Ut haec attentio devotioque servetur, visus, loquela et alia non compossibilia vitentur. Unde locus sit quietus; animus Deo solum occupatus; corpus modeste convenienterque compositum; mens praeparata; affectuum consideratio diligens et constans.

250. Non omittat sacerdos orationem ante Officii recitationem, qua Deum obsecret ut ei « digne, attente ac devote recitare Officium » concedat, unde et ipse « exaudiri mereatur ».

251. Denique, officium nonnisi in approbatis Breviariis, et iuxta dioecesanum Directorium recitetur.

CAPUT IV.

De Exercitiis spiritualibus.

252. Indiget aliquando sacerdos ad spirituales vires reparandas, exercitiis spiritualibus vacare, qui proprio spiritui fervorem cordique dulcedinem afferant. Apposite S. P. Pius IX¹: « Cum compertum sit ad ecclesiastici ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam, pium spiritualem exercitiorum institutum vel maxime conducere, pro episcopali zelo vestro tam salutare opus erigere, omnesque in sortem Domini vocatos monere hortarique ne intermittatis, ut saepe in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant, quo exterioribus curis repositis, ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, contractas de mundano pulvere maculas detegere possint ».

In hac autem Prov. Guadalaxarensi iam pridem haec saluberrima instituta sunt exercitia, ubi sacerdotes ab omni cura remoti, de Deo cogitant, propriam sanctitudinem quaerentes; ut quieti, orationi, meditationi et silentio vacantes abundantissimos reportent fructus.

Quoniam vero huius Concilii PP. exoptant ut sacerdotum numerus exercitiis vacantium magis augeatur, insistentes desideriis RR. Pontificum, et praesertim Benedicti XIV, Pii IX et Leonis XIII, decernunt:

253. Clerici omnes singulo quoque anno vel saltem biennio adeant exercitia. Si quis autem in biennio non adierit, Episcopus eum poena ad libitum imponenda compellat, nisi legitime impediti excusationibus

¹ Encycl. *Qui ex pluribus*, 9 Nov. 1846.

perpensis, veniam non adeundi concedere ei opportunum videatur.

254. Hi, qui ad sacros ordines promovendi sunt, utpote qui saeculo valedicere, et spiritum vocationemque ad statum ecclesiasticum perpendere tenentur, numquam ab exercitiis spiritualibus dispensentur.

255. Oportet sacerdotes semel in mense per totum diem solitudini vacare, ut proposita renouent, fervorem excitent, et si aliqua in vita sacerdotali sunt corrigenda, corrigant.

256. Ut in hac Provincia a tempore immemorabili exercitia iuxta S. Ignatii mentem et dispositiones RR. PP. Pauli III, Alexandri VII, Benedicti XIV, et Leonis XIII, sicuti etiam eius Praedecessoris Pii IX, in praxim deducta sunt, nunc denuo Synodus haec provincialis ea libentissime approbat, et iubet sub ipso ordine etiam in posterum fieri.

TITULUS III.

DE SACERDOTALI SANCTITATE

257. Haec Provincialis Synodus promovere cupiens et ardentem desiderans, ut sacerdotes dignitatem suam considerent, ad quam evecti sunt, utpote qui facultatem gerunt, quae angelis et archangelis denegata est; Dei ministros hortatur ut cogitent se esse christianorum patres, magistros atque mediatores, veritatis praedicatores, Sacramentorum ministros et qui peccata, illo amore, quem Salvator Christus Dominus docuit, absolvunt. Duobus vero auxiliis sanctitudinem acquirunt: perfectionem propriam quaerentes, et aliorum, in zeli

operibus laborantes. Inde duplex caput exurgit: 1.º De sacerdote seipsum sanctificante; 2.º De sacerdote alios sanctificante.

CAPUT I.

De sacerdote seipsum sanctificante.

258. Sanctificationem sacerdotalem postulant vocatio specialis, gratia abundantissima in ordinatione suscepta, officia quae ordinatus in christianos exercet, praemii spes in alia vita consequendi, quibus accedit amor Christi qui asperiores semitas faciles reddit. Sacerdoti etenim Christum diligenti nulla unquam est spiritus deiectio, quippe qui omnia sustinere paratus pro animarum salute, cuncta utcumque adversa, dulcissima reputat; et quoniam prospera huius vitae non cupit, nulla afficitur tristitia; in Christo enim confidit et in suo timore dicit: In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. Oportet ergo ut Sacerdos sanctificationi suae enixe studeat, has potissimum ut praecipuas virtutes excolendo:

259. Fidem, spem et caritatem, in primis, gratiae adiutorio, adaugeat et foveat, ut exequendi ministerii fidelitas postulat.

260. Quia totius sacerdotalis perfectionis fundamentum est humilitas, satagat Dei minister ut suis sibi assiduís supplicationibus donetur, cogitans frequenter de hoc et in animo habens S. Scripturae oracula.

261. Compendium autem proculdubio sacerdotalis vitae obedientia continetur, unde oportet continuo mente versare verbum illud coram Praesule « Promitto » in die ordinationis prolatum. Ut vero levius obedientiae onus evadat haec consideranda sunt:

a) Uberiores fructus qui ex illa percipiuntur. Nam, praeterquam quod solus Deus merita obedientiae novit, concipi vix potest quantas Sacerdos obediens aerumnas Praesulis laboresque alleviabit, quam valide comministros ad optimam conversationem incitabit, et fideles omnes in bonum aedificabit.

b) Dei voluntatem in superiorum praeceptis et legibus effulgere; itaque nedum questu, sed laude accipiens Sacerdos praepositorum iussa, ea libenter citoque exequi procedet. Quod si aliquando superior incongrua praecipere videatur, eum humiliter moneat: secus autem, utcumque onerosis obediat iussis.

c) Gaudium obedientia obvediens, quod quidem tanto satius erit, quanto difficilioribus minusque honorificis praeceptis obtemperetur. Quocirca animadvertendum est sacerdotalem spiritum, prohibere quominus aliquid cupiatur contra superioris voluntatem, necnon quominus intuitu remunerationis tantum adlaboretur.

d) Scandalum omnino vitandum tum clericis, tum laicis, quodque non potest quin committat sacerdos in praecepta superioris invehens, palamque reprehendens.

e) Caritas filialis, qua Sacerdos obedire praepositis tenetur, dum eos ut parentes in Christo prosequitur. Nam gaudia gemitusque communes esse debent cum Praelato subditis.

CAPUT II.

De sacerdote alios sanctificante.

262. Quia Sacerdotes propriam sanctificationem minime perficient, nisi Christi legationem in omnibus adimplere sedulo satagant; et vera sanctitate pollere non possunt, nisi ad maiorem Dei gloriam, caritate et zelo pro

animarum salute, verbo et exemplo totis viribus diligenter incumbant; Synodus haec Sacerdotibus, ut alios sanctificent, iubet:

263. Parvulos atque ignaros doctrinam catechisticam summa caritate Sacerdos doceat, non sua, sed quae Christi sunt quaerens, Salvatoris memor, qui parvulos magno amore accepit. Hodie enim, ut antea iam diximus, quando falsis opinionibus, erroribus, haeresibus, Ecclesiae Dei hostes pueros pervertere conantur, necesse est haereses damnare, errores confutare, veritatem suo splendore docere, ut Christo efformentur animae eorum, qui futuram societatem constituent.

264. Doctos etiam verbum Dei zelo edocere debet sacerdos; sed oportet orare, ut fiat sermo eius fructuosus; oratio enim movet spiritum, unctionem sermoni sacerdotis tribuit, et multum ipsi Sacerdoti populoque christiano prodest.

265. In hac praedicatione, filiorum pericula parentibus pandat, et in quibus inveniantur, ostendat; si christianorum more, familia non vivit, ut convertatur ad Deum adlaborabit, ut Christus ibi regnet utque familia christiana ad Evangelii normam reddatur, et obedientia filiorum ad patres et sponsae ad sponsum observetur, et sic domestica societas, quam effrenata libertas dirumpit, iuxta Christi doctrinam efformetur: clamet etiam contra atheam scholam, ad animarum parvulorum perniciem destinatam, patres et matres docendo quo rigore in extremo iudicio rationem vitae reddere debeant, Iudici nempe mortuorum et vivorum, a quo appellari nequit, quoniam omnia optime cognoscit.

266. Contra haereses et errores, summa caritate et prudentia, sed magna vi, clamet, argumenta diluendo, et captiosas rationes profligando; et patefaciat concio-

nator Ecclesiam, etsi multiplici persecutione concussam, semper tamen de inimicis victricem fuisse futuramque.

267. Iis vero, qui dubii de Religionis veritatibus manent, curet Dei minister, summa claritate, fundamenta earum exponere, ut videant in operibus quam pulchra sit illa perfectissima societas e coelo demissa, acquisita Christi sanguine, et in cruce de Salvatoris latere orta; non autem suis viribus, sed gratiae Dei confidat praedicator in animarum conversione.

268. In Poenitentiae ac misericordiae tribunali, ad animarum sanctificationem Salvatoris minister adlaboret; ibi peccatorem accipiat, ut olim Iesus mulierem frangentem alabastrum nardi, ut pedes sacratissimos ungeret, sine iudicis rigore, sed amore suavissimo, quo pater ille, in parabola a Christo narrata, prodigum filium accepit; item ut plurimi sancti sacerdotes, cum plorante plorabit, fidem firmabit, spem consolidabit in corde doloribus oppresso, vias Domini monstrans; et in his, in quibus caritatem iam morituram perspicit, verbis suis inflammabit; ad quod plurimum iuvabit oratio pro his, qui ad confessionem accedent.

269. Tempore designato ille pueros atque puellas in primam Corporis Domini participationem amore vocabit; illos instruet, amare Salvatorem docebit, et animas Christo offeret suo ministerio lucratas. Sic non solum filios, sed patres ad Christum vocabit; et non raro accedit in hac prima Communionem, hostes infensissimos ad Matrem Ecclesiam, exemplo filiorum, redire.

270. Quia vero Confraternitates piaeque Associationes pueris et puellis plurimum prosunt, ut in illis Dei amor asservetur, et pericula vitantes, de virtute

in virtutem illi progrediantur in Domino, ad istas Associationes pueros Sacerdos magna caritate curet advocare ut bonos mores ab infantia discant et a Religione non secedant. Ac non minore zelo curabit ut iuvenes et adulti nomina dent Confraternitatibus, ad eorum et ipsius Sacerdotis spiritualem profectum.

271. Quum exercitia spiritualia plurimum ad mores componendos iuvent, ut experientia quotidiana docet; non enim semel, sed passim, videmus homines conversos, ex quibus alii inimici Religionis erant, alii perversissimis moribus, et publici peccatores vitio dediti, de cuius salute desperabatur, qui exercitiis spiritualibus per aliquot dies vacantes, omnibus mirantibus, Dei gratia ad bonam frugem revocantur, promovenda sunt talia exercitia a sacerdotibus, qui suam et aliorum sanctificationem ambiunt.

272. In iis populis in quibus vitia grassantur, fides vel extincta vel extinguenda videtur, in quibus scandala abundant et hac via etiam pueri ad vitia proni cernuntur, Sacerdos laboret ut missionarii vocentur, ut contra crimina clament, et populi, si verbum Dei audiunt, meliores fient; et ubi crimina antea, postea virtutes florebunt, ut fructus gratiae Dei amantissimi. Opus autem fructuosissimum erit missionem populo procurari a Sacerdote, si hoc de Episcopi et Parochi licentia, prudenter in executionem mandetur.

273. Sacerdos qui opera zeli exercere desiderat, non oblivioni tradat pueros orphanos et pauperes, qui ad scholas assistere nequeunt. Christianae vero scholae studeat ut tales instituantur ubi alumnus efformetur in virtutibus, et effugiat a magnis seductionis periculis; et etiam in intellectu progressum, qui Deum monstrat, et non eius existentiam negat, adipisci possit.

274. Subveniat tandem sacerdos infirmis, incarceratis, necessitatibus oppressis, et omnibus animae vel corporis aliqua egestate laborantibus.

SECTIO II.

DE MORIBUS POPULI.

275. Nolumus de moribus christiani populi minutim praescribere, sed ea tantum recensere, quae festorum dierum sanctificationem ac ieiunium et abstinenciam respiciunt. Quae quidem duobus Titulis expendemus.

TITULUS I.

DE FESTIS DIEBUS SERVANDIS

276. Sicut primus homo typus Domini Iesu fuit, Apostolo dicente: « Adae qui est forma futuri »¹, sic etiam in vetere lege, gratiae lex in pluribus praefigurabatur. Ideoque si in illa, ad cultum Deo iure divino specialiter praestandum, quorundam solemnitates dierum extitere; ita quoque in lege nova, pari aut potiori iure, quorundam dierum festivitas et sanctificatio existere debuerunt.

277. Quapropter Sancta Mater Ecclesia, a tempore Apostolorum coepit denotare et instituere dies, ad quorum celebrationem omnes Christi fideles tenentur.

¹ Rom. V, 14.

CAPUT I.

De festivorum dierum numero.

278. Dies festivi nostra in Provincia sequentes sunt: primo, Dominici dies anni, in commemoratione perenni magni diei Resurrectionis D. N. Iesu Christi; sicut canit Ecclesia: « Haec dies quam fecit Dominus; exultemus et laetemur in ea ».

Quindecim praeterea dies sequentes:

In mense Ianuarii.

- 1.º Circumcisio Domini Nostri Iesu Christi.
- 2.º Epiphania eiusdem D. N. Iesu Christi.

In mense Februarii.

- 3.º Purificatio Beatissimae Virginis Mariae.

In mense Martii.

- 4.º Sanctus Ioseph, Beatissimae Mariae Virginis Sponsus.
- 5.º Annuntiatio Beatae Mariae Virginis.

In mense Iunii.

- 6.º Nativitas Sancti Ioannis Baptistae.
- 7.º Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli festum.

In mense Augusti.

- 8.º Assumptio Beatissimae Virginis Mariae.

In mense Septembris.

- 9.º Nativitas Beatae Mariae Virginis.

In mense Novembris.

- 10.º Festum omnium Sanctorum.

274. Subveniat tandem sacerdos infirmis, incarceratis, necessitatibus oppressis, et omnibus animae vel corporis aliqua egestate laborantibus.

SECTIO II.

DE MORIBUS POPULI.

275. Nolumus de moribus christiani populi minutim praescribere, sed ea tantum recensere, quae festorum dierum sanctificationem ac ieiunium et abstinenciam respiciunt. Quae quidem duobus Titulis expendemus.

TITULUS I.

DE FESTIS DIEBUS SERVANDIS

276. Sicut primus homo typus Domini Iesu fuit, Apostolo dicente: « Adae qui est forma futuri »¹, sic etiam in vetere lege, gratiae lex in pluribus praefigurabatur. Ideoque si in illa, ad cultum Deo iure divino specialiter praestandum, quorundam solemnitates dierum extitere; ita quoque in lege nova, pari aut potiori iure, quorundam dierum festivitas et sanctificatio existere debuerunt.

277. Quapropter Sancta Mater Ecclesia, a tempore Apostolorum coepit denotare et instituere dies, ad quorum celebrationem omnes Christi fideles tenentur.

¹ Rom. V, 14.

CAPUT I.

De festivorum dierum numero.

278. Dies festivi nostra in Provincia sequentes sunt: primo, Dominici dies anni, in commemoratione perenni magni diei Resurrectionis D. N. Iesu Christi; sicut canit Ecclesia: « Haec dies quam fecit Dominus; exultemus et laetemur in ea ».

Quindecim praeterea dies sequentes:

In mense Ianuarii.

- 1.º Circumcisio Domini Nostri Iesu Christi.
- 2.º Epiphania eiusdem D. N. Iesu Christi.

In mense Februarii.

- 3.º Purificatio Beatissimae Virginis Mariae.

In mense Martii.

- 4.º Sanctus Ioseph, Beatissimae Mariae Virginis Sponsus.
- 5.º Annunciatio Beatae Mariae Virginis.

In mense Iunii.

- 6.º Nativitas Sancti Ioannis Baptistae.
- 7.º Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli festum.

In mense Augusti.

- 8.º Assumptio Beatissimae Virginis Mariae.

In mense Septembris.

- 9.º Nativitas Beatae Mariae Virginis.

In mense Novembris.

- 10.º Festum omnium Sanctorum.

In mense Decembris.

11.º Immaculata Conceptio Beatissimae Virginis Mariae.

12.º Festum Beatissimae Virginis Mariae de Guadalupe.

13.º Nativitas Domini Nostri Iesu Christi.

Festa Mobilia:

14.º Ascensio Domini Nostri Iesu Christi.

15.º Festum Sanctissimi Corporis Christi.

CAPUT II.

De modo quo festa colantur.

279. Omnes fideles, in festivis diebus memoratis, ab aetate discretionis, ad Missam integram audiendam sub gravi culpa obstringuntur.

280. Hoc praeceptum cum praesentia tantum physica non adimpletur; sed assistentia moralis cum intentione saltem virtuali audiendi sacrum etiam necessaria est. Ideoque et Nos sequentem iam damnatam propositionem damnamus: Praecepto ecclesiastico de audiendo sacro satisfit per reverentiam exteriorem tantum, animo licet voluntarie in aliena, imo in prava cogitatione defixo.

281. Qui veritates ignorant, quarum cognitio necessaria est ad salutem aeternam, non tantum necessitate medii, sed etiam necessitate praecepti, et alio modo instrui super illas moraliter nequeunt, catechismum, qui datur in diebus festivis, tenentur adire.

282. Patresfamilias et heri, ut filii et subditi sui, ad colendum dies festos, non solum permittere, sed etiam adigere debent.

283. Causae excusantes a praecepto de audiendo sacro, ad duo tantum reduci possunt, ad impotentiam scilicet physicam et moralem.

284. In supradictis festis diebus, et opera servilia conficere, et mercaturam aut commercium facere, nisi aliud statuatur legitima consuetudo de certis commercii articulis, vel necessitas, vel permissio auctoritatis ecclesiasticae, sicut et iudiciales strepitus inchoare aut prosequi, prohibitum est.

285. Fabri, qui propter probatam et non fictam necessitatem aut pietatem, aut cum dispensatione laborant, officinas claudant, ut non caeteris fidelibus scandalum praebeant, his diebus publice laborando.

286. Attamen in servilibus factis attendere debemus ad ea quae de illis dictum est: *De operibus servilibus non exercendis in diebus Dominicis et festivis, plus et frequenter determinat consuetudo loci et personarum, a Praelatis tolerata, quam alia lex scripta.*

287. Curent fideles in die festo, meliori modo quo possint, Deum honorare, non solum sicut decet et necessarium est, fugiendo a peccatis et ab occasione peccandi, sed etiam faciendo actus fidei, spei, et caritatis, ac sacrum verbum audiendo, praecipue in sua Paroecia, et aliquam spiritualem instructivam religiosamve lectionem, maxime in familia, faciendo; ac semper Apostoli monitis obtemperantes: *Abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus: non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudiciis, non in contentione et aemulatione: sed induamini Dominum Iesum Christum*¹.

¹ Ad Rom., cap. XIII, v. 12, 13, 14.

TITULUS II.

DE IEIUNIO ET ABSTINENTIA

288. Quia semper adversus spiritus caro concupiscit, carnis molimina stimulosque refrænare et domare debemus; si enim omnes cum Apostolo dicere possumus ¹: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati quae est in membris meis. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* ² ita etiam, quae ipse Apostolus fecit: « *Castigo corpus meum et in servitutum redigo* », et nos facere debemus.

289. Hoc autem Sancta Ecclesia divinitus informata respiciens, et aliunde exemplo Iesu Christi, sui Divini Fundatoris edocta, ieiunii legem dedit; et quasi mater sollicita monet nos dicens quod corporali ieiunio vitia comprimuntur, mens elevatur, et virtus praemiaque donantur, ita ieiunii excellentiam et necessitatem ostendens.

CAPUT I.

De ieiunio.

290. Omnibus diebus ieiunii omnes utriusque sexus fideles a vigesimo primo anno iam expleto, ad unicam principalem comestionem faciendam sub gravi culpa tenentur.

291. Parva refectio, quae communiter mane sumi-

¹ I. Cor. IX, 16.

² Rom., VII, 23.

tur, et vocatur parvitas, licita est. Sed attendenda est sequens propositio ab Alexandro VII damnata: « In die ieiunii qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium ».

292. Altera etiam licita refectio appellata collatio in nocte sumitur, et quantitas eius ea potest esse quae personae bonae conscientiae utuntur.

293. Ab obligatione ieiunii excusantur: 1.º Annos sexaginta iam attingentes: 2.º Qui ex officio vel necessitate in corporalem magnum adnituntur laborem: 3.º Infirmi; sed hi attendere curent amborum sententiam medicorum, spiritualis scilicet et corporalis. Sed si causa est evidens, nullum dictamen requiritur.

CAPUT II.

De abstinentia.

294. Omnes, diebus praescriptis, ab esu carniū abstinere tenentur a prima aetate, in qua rationis acquiritur usus.

295. Permiscere, id est, edere in eadem comestione carnes et pisces, diebus ieiunii, sive hoc cum abstinentia sit, sive non, omnibus fidelibus sub culpa gravi prohibitum est.

296. Eodem modo permiscere vetitum est Quadragésimae diebus Dominicis.

297. Etiam, illi qui propter magnum laborem aut propter aetatem ad ieiunium non obligantur, non possunt licite permiscere. Caeteris feriis sextis et sabbatis anni, in quibus ieiunium non obligat, permiscere licitum est.

298. Haec insuper Provincialis Synodus, omnia edocendo quae dicta sunt fidelibus quoad ieiunium eccle-

siasticum, vehementer desiderat ut prae oculis semper habeatur, tum quod D. Augustinus de ieiunio spiritale ait ¹: « Ieiunium magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus saeculi, quod est perfectum ieiunium »; tum etiam quod S. Leo Papa Magnus dicit ²: « Digna enim ab infidelibus reprehensione carpemur et nostro vitio linguae impiae in iniuriam se religionis armabunt, si ieiunantium mores a puritate perfectae continentiae discreparint. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostra summa ieiunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur ».

¹ Tract. 17 in Ioan.

² Serm. 4 in Ioan.

PARS III. DE DISCIPLINA

299. Cum videatur Nobis peropportunum, antequam de hac nostrae Synodi Parte aliqua decernamus, quaedam fundamenta mandatorum nostrorum mente recogitare quoad Ecclesiasticam Disciplinam, ante omnia memoria recolere oportet quae sequuntur:

300. Quamvis Ecclesiastica Disciplina sit proprium Conciliorum Provincialium obiectum, omne enim quod Dogma, Mores et Ius Canonicum attingit, ad Summum Pontificem et Universalem Ecclesiam pertinet; iuxta laudabilem tamen consuetudinem, Concilia Provincialia de Dogmate, Moribus atque Iure Canonico aliqua decreverunt, sed in sensu expositivo et explicativo, aptioribusque mediis utendo, ut veritas propagetur, virtus firmetur atque ius defendatur. Quamobrem illa pars Ecclesiasticae Disciplinae, quae tantum agit de modo et forma applicandi leges Ecclesiae ad universam christianitatem, Disciplina Generalis audit ac de ipsa leges ferre ad supremam auctoritatem Ecclesiae pertinet; illa vero pars quae de modo et forma easdem ecclesiasticas leges efficacius ad Provinciam aliquam Ecclesiasticam applicandi tantummodo tractat, particularem Disciplinam uniuscuiusque Provinciae constituit. De utraque autem parte Concilium hocce loquetur: de prima, in sensu expositivo et explanatorio; de secunda, in sensu legislativo.

siasticum, vehementer desiderat ut prae oculis semper habeatur, tum quod D. Augustinus de ieiunio spiritale ait ¹: « Ieiunium magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus saeculi, quod est perfectum ieiunium »; tum etiam quod S. Leo Papa Magnus dicit ²: « Digna enim ab infidelibus reprehensione carpemur et nostro vitio linguae impiae in iniuriam se religionis armabunt, si ieiunantium mores a puritate perfectae continentiae discreparint. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostra summa ieiunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur ».

¹ Tract. 17 in Ioan.

² Serm. 4 in Ioan.

PARS III. DE DISCIPLINA

299. Cum videatur Nobis peropportuno, antequam de hac nostrae Synodi Parte aliqua decernamus, quaedam fundamenta mandatorum nostrorum mente recogitare quoad Ecclesiasticam Disciplinam, ante omnia memoria recolere oportet quae sequuntur:

300. Quamvis Ecclesiastica Disciplina sit proprium Conciliorum Provincialium obiectum, omne enim quod Dogma, Mores et Ius Canonicum attingit, ad Summum Pontificem et Universalem Ecclesiam pertinet; iuxta laudabilem tamen consuetudinem, Concilia Provincialia de Dogmate, Moribus atque Iure Canonico aliqua decreverunt, sed in sensu expositivo et explicativo, aptioribusque mediis utendo, ut veritas propagetur, virtus firmetur atque ius defendatur. Quamobrem illa pars Ecclesiasticae Disciplinae, quae tantum agit de modo et forma applicandi leges Ecclesiae ad universam christianitatem, Disciplina Generalis audit ac de ipsa leges ferre ad supremam auctoritatem Ecclesiae pertinet; illa vero pars quae de modo et forma easdem ecclesiasticas leges efficacius ad Provinciam aliquam Ecclesiasticam applicandi tantummodo tractat, particularem Disciplinam uniuscuiusque Provinciae constituit. De utraque autem parte Concilium hocce loquetur: de prima, in sensu expositivo et explanatorio; de secunda, in sensu legislativo.

301. Facultas disciplinaris Ecclesiae docentis, praeter alia, fundatur in verbis Sancti Evangelii secundum Matthaeum ¹: « *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* ».

302. Fontes praecipui Ecclesiasticae Disciplinae in Ecclesia Universali sunt sequentes: *A)* Romanorum Pontificum Constitutiones ac Decreta: *B)* Concilia Generalia, et praecipue Sanctae Synodi Tridentina et Vaticana: *C)* Resolutiones ac decisiones a Sacris Congregationibus, tanquam a Summo Pontifice, exortae.

303. Fontes speciales Ecclesiasticae Disciplinae in Ecclesia Mexicana fuere: Constitutiones et Statuta Cathedralis Hispalensis, ad quorum normam veteres Mexicanae Cathedrales erectae fuerunt; Concilium Mexicanum III; Privilegia Mexicanae Ecclesiae certo concessa; legitimae consuetudines; Illmorum Mexici Archiepiscoporum dispositiones, quando una tantum erat Ecclesiastica Provincia.

304. Particulares fontes Provinciae Guadalaxarensis sequentes enumerantur: *a)* Sinodales Constitutiones Illmi D. D. D. Ioannis Ruiz Colmeneros (1648): *b)* Mandata generalia ab Illmo D. D. D. Ioanne Ruiz de Cañas, data 1797, atque ab Illmo D. D. D. Didaco Aranda instaurata (1838): *c)* Dioecesanae Conferentiae ab Illmo et Rmo Archiepiscopo D. D. D. Petro Espinosa ad exitum perductae: *d)* Pastoralis Epistola D. D. D. Lazari de la Garza et Ballesteros, observanda superiori mandato in hac Archidioecesi: *e)* Dispositiones Superioris Gubernii Ecclesiastici, tam Metropoleos huius, quam Suffraganeorum Dioecesium: *f)* specialia Privilegia et legitimae consuetudines.

¹ Cap. XXVIII, 19 et 20.

305. Plurimis quidem mediis utitur Ecclesiastica Disciplina ut proprium finem adipiscatur; ad tria vero praecipue reducuntur, scilicet: *A)* Quod sint ubique locorum ecclesiastica auctoritate sacerdotes seduli et vicarii ordinate distributi, ut praestantissimis bonis verae Religionis et Ecclesiae institutionibus fideles omnes participes fiant: *B)* Quod securae regulae atque notoriae fidelibus praebentur circa modum Religionis et Morum officia implendi: *C)* Quod sit legum corpus, a quo auctoritatis, cultus et ministerii ecclesiastici exercitium regatur.

306. His praemissis, Partem Synodi nostrae praesentem dividimus quatuor in Sectiones scilicet: I. De Hierarchia: II. De Sacramentis et Sacramentalibus: III. De Cultu Divino: IV. De Bonis Ecclesiasticis.

SECTIO I. DE HIERARCHIA

307. Duae portiones, Subsectiones vocatas, complectitur haec Sectio, quarum erit: I. De Personis: II. De Coetibus.

SUBSECTIO I.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS

308. Personae de quibus hac in divisione totidem in Titulis loquimur sunt: I. Romanus Pontifex: II. Metro-

polita: III. Episcopi: IV. Vicarii Foranei: V. Parochi:
VI. Vicarii Parochiales: VII. Cappellani: VIII. Caeteri
Clerici: IX. Regulares.

TITULUS I.

DE ROMANO PONTIFICE

309. Synodus haec Provincialis Guadalaxarensis, memor illorum, quae in Parte sua Prima circa Romanum Pontificem iam dixit, haec humiliter profitetur:

310. Romanum Pontificem, veluti Vicarium Christi Domini Nostri in orbe terrarum, a Domino Nostro Iesu Christo, Primatum et Principatum accepisse, ut in Conciliis Oecumenicis iamdiu constabat, et in Sancta Vaticana Synodo definitum est; et non tantum inspectionis et directionis officium, sed in Universam a Christo fundatam Ecclesiam iurisdictionem habere, tam in fidei rebus, quam in moribus atque disciplina; et non potiores tantum partes, sed plenariam potestatem in omnes et singulas Ecclesias, cuiuscumque ritus et dignitatis; Christus enim Dominus Ecclesiam Petro commisit sacratissimo sanguine acquisitam, *Pasce*, inquit, *agnos meos, pasce oves meas* postquam trinam de amore in eum interrogationem fecisset; quibus clarissimis verbis, non solum omnes fideles, sed et cuncti Pastores inveniuntur comprehensi et insuper ab ipsa Veritate incarnata eidem Petro perspicue dictum fuit: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

311. Veritates omnes de Romani Pontificis praerogativis et iuribus, ac praecipue de infallibilitatis dote, cum *ex cathedra* loquitur, iam definitas, et quidquid

Sanctissima Ecclesia deinceps definierit, Patres huius Concilii accipiunt et venerantur.

312. Agnoscimus denique ac declaramus cum Summo Pontifice et cum Episcopatu catholico ¹, *in praesenti rerum humanarum statu civilem Sanctae Sedis principatum pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine omnino requiri*; ac simul improbamus et totis viribus detestamur impia illorum facinora, qui hac nostra illacrymanda aetate, dolo ac vi Romanae Sedis civilia iura ac principatum aggressi sunt ac usurparunt, quique, ob sacrilegum ipsorum crimen, in poenas et censuras ecclesiasticas gravissimas incidisse iure meritoque declarati sunt ², atque deplorantes cum Sanctissimo Domino nostro Leone XIII acerbissimos nefariae in Ecclesiam coniurationis fructus in Romanum Pontificem maxime redundantes « cui quidem, legitimis iuribus suis deiecto, atque in exercendis maximis muneribus multimodis impedito figura quaedam regiae maiestatis quasi per ludibrium relinquatur » ³, palam obtestamur acerbissimis afflictionibus SS^mi Patris sic nos coniugi, ut quae ipsum pati contingat, eadem et nos amoris consensu patiamur; et nostras facimus declarationes et protestationes omnes quas hac in re s. m. Pius IX edidit ac iteravit, quasque in suis Apostolicis Litteris Leo XIII omnino renovavit et confirmavit ⁴. Insuper ut una nobiscum ad Patrem coelestem preces pro Capite Ecclesiae in toto corde effundant, et in auxilium eius pro sua quisque facultate veniant, clericos omnes ac populum nostrum enixe hortamur in Domino.

¹ Episcop. Romae adunator. ad Pium IX obtestatio 8 Iun. 1862.

² Pius IX, Litt. Apost. *Cum Catholica Ecclesia*, 26 Mart. 1860.

³ Leo XIII, Encyc. *Militans*, 12 Mart. 1881.

⁴ Leo XIII, Encyc. *Inscrutabilis*.

TITULUS II.

DE METROPOLITA

313. Nos, in Provinciali hac Synodo legitime congregati, laudantes in primis et gratias agentes Deo, quia mira sua in has Ecclesias miseratione, semper inter Metropolitam et Suffraganeos, in hac Provincia Guadalaxarensi, amor intimus, unio atque adhaesio fuere, ac Suffraganei omni tempore agnoverunt et agnoscunt iura omnia quae in Metropolita effulgent, atque obsequium gratissimo animo praebent; ac deinde ipsum Deum adprecantes, ut haec unio et amicitia semper vigeat augendo in dies vincula arcissima quae inter Metropolim ac Dioeceses omnes nunc extant; ante omnia indiscriminatim confitemur ac veneramur tum illa Metropolitae iura, quibus pollet in Guadalaxarensi Provincia, miro splendore a SS. Pio, Dei Providentia, Papa IX efformata et nuperrime a SS. Leone XIII reformata; tum alia quibus deinceps a Sancta Sede cumulari contigerit; singulariter vero iurium illorum praecipua recognoscimus atque tenemus in sequentibus expressa:

314. Auctoritas Metropolitae a Romano Pontificis primatu legitime emanat atque procedit. Hinc Romanus Pontifex in universo orbe terrarum pallio utitur, nam in illo plenaria auctoritas est episcopalis in omnes et singulas Ecclesias, et in omnes et singulos Pastores.

315. Archiepiscopus in sua Provincia, diebus iure assignatis, pallium induere valet in Missae sacrificio.

316. In ipsissima Provincia sua cruce atque baculo uti potest.

317. Ius illi est benedicendi in omni Provincia, necnon et Divina Officia persolvendi, sive privatim, sive in Pontificalibus celebret.

318. Rochetum et mozzettam induere valet.

319. Provinciale Concilium convocandi, congregandi ac dirigendi, potestatem habet; Episcopi vero Suffraganei obligati sunt ad Synodum convenire, nisi adsit impedimentum, a Provinciali Synodo sufficiens existimatum.

320. Suffraganeorum minores causas iudicare competit Metropolitae una cum Provinciali Synodo, servatis servandis.

321. Iustis de causis, et si Concilium Provinciale adprobaverit, potest Metropolita ad Suffraganei Dioeceseos Visitationem procedere, quo in casu, ius habet:

a) Ad procurationem: b) Ad audiendas confessiones sacramentales, atque poenitentias salutes imponendas: c) Et, perdurante tempore Visitationis, ad absolvendum.

322. Si Capitulum, mortuo Episcopo Suffraganeo, et diebus octo transactis constituere neglexerit Vicarium capitularem, Metropolitae ius est eum nominandi. In his vero Dioecesibus, ubi Capitulum deest, administratorem Metropolita, ad Ecclesiae regimen, mortuo Suffraganeo, constituet.

323. Absentias Suffraganeorum cognoscet, et si legitima desit causa, Romanum Pontificem certiore facere de eorum non residentia debet.

324. Suffraganeos cogere Episcopos ad sua, pervigili praesentia, dirigenda Seminaria, conservanda atque augenda, quantum in illis sit, omni conatu curabit.

325. In appellationibus, iurisdictionem in Suffraganeorum subditos acquirat, si fuerit iudex *ad quem* in appellatione praedicta.

326. Ad suum tribunal trahere causas, quae in tribunali suorum Suffraganeorum agitantur, poterit, si transacto biennio, adhuc causa pendet, et aliqua ex partibus litigantibus sic petierit.

TITULUS III.

DE EPISCOPIS

327. Mente recogitans illa gravissima verba, quibus Apostolus omnia quae ad Episcopi obligationes pertinent reduxit, dicens: « In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile: ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis »; ¹ haec Provincialis Synodus decernit:

328. Episcopi tenentur ad observantiam eorum, quae de vita et honestate clericorum, necnon de perfectione sacerdotali alibi dicta sunt; ac tanto magis ac perfectius, quanto magis magisque in dignitate et excellentia supra clericos et sacerdotes eveci sunt.

329. Circa Ordinationes clericorum tenentur eligere in altaris ministros, dignos dumtaxat, et excludere indignos. Duo autem debet Episcopus prae oculis habere in iis, qui ad Ordines anhelant ascendere, spiritum, scilicet, ac doctrinam. Circa spiritum et mores parum tutus est ille Episcopus, qui attestationibus dumtaxat Parochorum confidit; quia *testis unus, testis nullus*. Sed nec Episcopus potest tantum acquiescere soli probitati negativae Ordinandi, ut dicit S. Thomas, nempe quod nihil

¹ Ep. ad Titum, II, 7, 8.

sciat mali de illo; sed oportet ut eius probitatem positivam cognoscat, tales notitias habendo, ut sufficientia praestent indicia, quod ille spiritu Ecclesiae sit donatus. Propterea Episcopi zelantes non signare solent supplices libellos, nisi prius secreto certi fuerint de Ordinandorum probitate a pluribus personis candidatum cognoscentibus. Prudenter vero se gerit Episcopus, qui in plena libertate relinquit juvenes ad Ordines petendos, quia multoties ipsi se agnoscunt indigni, et propter timorem reverentialem suorum superiorum accedunt ad Ordinationem, sine conditione a Tridentina Synodo, iis verbis concepta: « Quorum probata vita senectus sit » ¹; ideoque nihil mirum est quin postea sint scandali petra populis, et Episcopo onus intolerabile.

330. Episcopi propriam Dioecesim visitare non praetermittant per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, aut Visitatorem; et si quotannis totam, propter eius latitudinem, visitare non potuerint, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se vel per Visitatores suos Visitatio compleatur. Studeant vero quam celerrime cum debita tamen diligentia visitationem hanc persolvere.

331. Maximam curam debent Episcopi habere in electione Confessariorum ac Parochorum. Memores sint illius sententiae a S. Pio V dictae, et a D. Ligorio citatae: « Dentur idonei confessarii, et ecce omnium Christianorum plena reformatio ». Ac meditentur hanc S. Alphonsi doctrinam: « Quoad scientiam potest bene Episcopus se conformare examinatorum iudicio; sed sua praecipua diligentia sit, ut ipse cognoscat de vitae probitate, inquirendo notitiam a diversis » ². In dubium

¹ Sess. XXIII, cap. 12.

² In tract. 7, num. 54.

revocanda non est maxima S. Francisci Salesii, quod in curis animarum praeferendi sunt, sufficienter docti doctoribus, qui spiritu sunt inferiores. Et S. C. de Parochorum electione declaravit: « Praeferendus est minus doctus (modo idoneus) quando eius mores sunt approbati, doctiori, cuius vita ignoratur ». Pro certo habendum Parochum probum uno mense utiliorem esse populo, quam Parochum doctiorem, sed minus probum, totum per annum.

332. Visitatio SS. Liminum in eo consistit ut singuli Episcopi certo quoque tempore Romanum Pontificem tanquam Supremum Ecclesiae centrum et Caput adire teneantur, eique Ecclesiae suae statum aperire. De tempore et modo faciendi hanc Visitationem, multa in iure praescripta inveniuntur.

333. Episcopus nominare tenetur Secretarium Sacerdotem bonis moribus instructum, qui fidei professionem emittere tenetur, ut alibi praescriptum fuit, et similiter de servando secreto iuramentum praestet. Sub eius autem cura episcopale erit archivum, et ipsi competit illum distribuere in ordine et asservare. Eiusdem etiam est episcopalibus actis ab Episcopo subscriptis et suum nomen apponere, eadem sigillo munire, et ea facere quae a iure aut consuetudine facienda sunt.

TITULUS IV.

DE VICARIIS FORANEIS

334. Quoniam fieri non potest ut Episcopi, quamvis idonei et magno zelo flagrantēs, per se ipsos de omnibus sollicitudinem ferant in sua episcopali ditione,

magni ad spiritale profectum animarum interest, ut onera partiantur in vigilando parochiarum regimine ab episcopali civitate dissitarum. Ad cuius officium, ut sibi assumant adiutores quosdam inter Sacerdotes praestantiores oportebit, quos *Vicariorum Foraneorum* nomine honorent. Quoad hoc vero munus sequentia serventur.

335. Habeant Episcopi Vicarios Foraneos, quorum officium in eo constituitur, ut diligenti cura ministerium Parochorum provideant.

336. Antequam ad exercendam suam functionem Vicarii Foranei pergant, professionem fidei, iuxta formam supra dictam, emittant, necnon iuramentum praestent bene Vicarii Foranei onera adimplendi.

337. Semel in anno, vel si necessitas urgeat, aut de mandato superiori, saepius, parochias suae iurisdictionis visitent huiusmodi Vicarii, non ut molesti exploratores; sed ut amici atque fratres. Prudenter itaque inquirent quomodo serventur synodalia et Ecclesiae generalia mandata.

338. Caveant ne facile accusationes contra Parochos aut sacerdotes, quae non raro impietas confingit, aut credulitas accipit, aut malignitas hominum disseminat, recipiant; sed in omnibus prudentiam et caritatem servent, in qua munus suum sacerdotale enitet.

339. Quae de vita clericorum et laicorum, de usu atque administratione sacrarum rerum, post visitationem, digna existimaverint notatu, eorum infra mensem ad Episcopum rationem in scriptis mittant.

340. Olea Sacra, quorum copiam secum opportune ac decenter habebunt, parochis iuxta legitimas consuetudines et dioecesanās praescriptiones distribuant.

341. Aegrotantibus sui Vicariatus Parochis Sacramenta ministrari curabunt Vicarii Foranei.

342. Possunt Vicarii Foranei suae regionis sacerdotibus facultatem dare a Paroecia abeundi per dies octo, dummodo non sint de finitimis episcopaliū civitatum, et Episcopo vel suo vicesgerenti opportune nuntient absentiam.

343. Parochi caeterique clerici Vicarios Foraneos ea prosequi amicitia reverentiaque debent, quae Episcopi locum tenenti, tamquam ipsius adiutori, in iis quae Vicariatus sunt potestatis, decent.

344. Demum Vicarii Foranei litteras suae nominationis sedulo prospiciant, ne quid contra vel extra suam iurisdictionem, peragant.

TITULUS V.
DE PAROCHIS

345. Quaedam circa Parochos ante omnia videntur Nobis praenotanda, videlicet: Cum sapientissimus quidem sit ordo, quo auctoritas ecclesiastica, alios his functionibus, alios diversis, sacros Ministros deputans, facit ut Sacerdotium, in sancti ministerii exercitio, magna cum animarum utilitate laboret; Episcopus Parochos instituit, ut Parochias regant, Sacramenta in illis administrant, et verbum Dei praedicent, sub ipsius Episcopi auctoritate ac dependentia.

346. Iuxta autem Divum Thomam, Parochi originaliter spectati constituti fuerunt, ut Episcopos in Sacramentorum administratione et Evangelii praedicatione adiuverent; in Ecclesia namque soli Episcopi, si verborum vim spectemus, Pastores possunt vocari, de quibus dicit Spiritus Sanctus: « Posuit Episcopus regere

Ecclesiam Dei ». Quapropter, una ex Parochorum praecipuis obligationibus, in perfecta unione cum suo Episcopo consistit.

347. Episcopi, gravi et canonica de causa Parochum ad tempus a Paroeciae cura separare possunt: quamquam si Parochus proprie talis seu Beneficiatus fuerit, parochiale Beneficium non amittit; ad hoc enim postremum tramites et causae, a iure designatae, requiruntur.

348. Vicariorum de caetero Parochum non esse immediatum superiorem dicere, idem esset ac parochialem ordinem evertere. Sed quamvis illorum sit superior immediatus, non tamen illos absque debito obsequio et inurbane tractare debet; alioquin enim Vicarii, contraria agendi ratione, oppressi et humiliati, dissentientibus animis, forte concordiam et unitatem etiam in sacro ministerio, magna cum animarum iactura, dirumperent. Sacerdotes quidem Paroeciae cuilibet adscripti Parocho eidem praefecto subiiciuntur; sed omnes monemus, ut ea qua ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei decet caritate, sollicite servent unitatem spiritus in vinculo pacis.

349. Haec omnia perspicientes, et in memoriam revocantes quoad Parochorum institutionem S. Tridentinae Synodi sequens decretum: « In iis quoque civitatibus, ac locis, ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant; mandat Sancta Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum, perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta su-

scipiant; aut utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus, ac locis, ubi nullae sunt parochiae, quamprimum fieri curent: non obstantibus quibuscumque privilegiis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus » †; Patres huius Provincialis Guadalaxarensis Concilii decernimus:

350. Parochi iuxta formam Tridentini instituantur; vel aliter, de consensu Sanctae Sedis.

351. Nemo, absque licentia Episcopi vel Parochi, actus iurisdictionis parochialis exercere possit.

352. Potest Parochus, salva Episcopi reservatione, in sua Paroecia, Sacramentorum administrationem cuilibet sacerdoti approbato committere, si Poenitentiae Sacramentum excipiatur, quod facultatem iurisdictionis exigit, quam solus Episcopus concedere valet.

353. In absentiae vel alicuius impedimenti casibus, potest Parochus alicui priorum Vicariorum seu sacerdotum in Paroecia residentium, ipsam Parochiam committere; sed minime alienae Paroeciae Vicariis seu sacerdotibus commendet; hoc enim remotionem importaret, a solo Episcopo faciendam.

354. Primitiae, ex praecepto Ecclesiae collectae, ad Parochum in actuali exercitio pertinent.

TITULUS VI.

DE VICARIIS PAROCHIALIBUS

355. Quoniam Vicarii nomine intelligitur, in genere, ille qui vicem alterius tenet, ideoque munus Vicario-

† Sess. XXIV, cap. 13, de reformatione.

rum Parochialium in hoc consistit, ut Parocho adiuvant in Sacramentorum administratione et divinum cultum fovendo, atque data occasione, suas vices gerant in animarum salute curanda, nullam proinde sacerdotes administrandi auctoritatem independentem a Parochis in fideles sibi vindicare, nihil disponere vel immutare audeant, sed in omnibus veros auxiliares Parochorum sese prodire debent: et quia instituere ac revocare Vicarios ad Episcopum pertinet, et eiusdem Episcopi quoque est assignare congruam tribuendam Vicariis; de hisce, quae sequuntur praecipimus:

356. Episcopi tot sacerdotes Vicarios Parochis provideant, quot ad Sacramenta administranda et divinum cultum celebrandum sufficiant.

357. Missam in Parochiali Ecclesia, vel de licentia seu mandato Parochi, extra Ecclesiam Parochialem, hora assignata, celebrent in festis diebus Vicarii.

358. Legi residentiae Vicarii subiaceant. Unde a Paroecia tribus diebus, octo vero intra limites Dioecesis absque Vicarii Foranei licentia, abesse non valeant.

359. Erga parochianos ita se gerere debent, ut nec nimium eorum societati adhaereant, nec ipsorum abhorere amicitiam appareant. Eos quos viderint minime Parocho adhaerere, tamquam sibi singulariter caros non habeant; secus malae suspicionis huiusmodi sacerdotes erunt.

360. Conferentiis ecclesiasticis interesse tenentur Vicarii, eo tempore ac ratione, quibus a dioecesanis decretis sancitum fuerit.

361. Ut rite salubriusque suo munere fungantur Vicarii, formae nominationis eorum, mandatis Parochi sub cuius regimine constituuntur, necnon facultatibus

concessis in Epistola, *Carta de gracia* dicta, atque legitimis loci consuetudinibus standum est.

362. Cum sint Vicariae fixae constitutae velut Parochiarum auxiliares, ut parochialia officia opportune adimpleantur, sacerdotes eisdem deservientes Vicarii sunt, amplioribus tamen facultatibus sub auctoritate ac dependentia proprii Parochi gaudentes.

TITULUS VII.

DE CAPPELLANIS

363. Cappellani omnes, cuiuscumque dignitatis, alicui Ecclesiae parochiali adscribantur.

364. Praeter officia in nominationis litteris assignata, quibus sedulo attendant praecipimus, residentiae legi obstricti manere debent, iuxta dispositiones dioecesanarum.

365. Qui in Episcopali civitate domicilium habent, divinis officiis interesse tenentur Cathedrali Ecclesiae, feria quinta in Coena Domini, processioni in festo Corporis Domini Nostri Iesu Christi et eius octava, aliisque solemnitatibus de mandato Episcopi.

366. Singulis annis, si dioecesana decreta aliter non disponant, rationem Ordinario reddant Cappellani de eleemosynis, quovis titulo ac fine in ecclesia sua collectis, quarumque administrationem seu dispensationem habuerint.

367. Cum munere animarum salvandi rite ac fructuose fungi non possint Sacerdotes, nisi scientiam sibi propriam possideant, volumus ut omnes Cappellani conferentiis ecclesiasticis semper intersint.

TITULUS VIII.

DE CAETERIS CLERICIS

368. Praeter morum honestatem ac totius vitae aedificationem, ad quam clerici omnes districte obligantur, Presbyteri nulla beneficia vel officia ecclesiastica habentes, alicui parochiali ecclesiae adscripti sint; ab eaque proinde, nisi de superiori licentia, non absint.

369. Et quoniam non pro sua tantum, sed pro animarum utilitate Sacris Ordinibus insignati fuerunt, volumus ut tempore praesertim quadragesimali ac paschali et in festis solemnioribus, ad confessiones audiendas, verbum Dei dispensandum, aliaque munera sacerdotalis officii obeunda, prompti sint.

370. Quod de Cappellanis, circa divinis officiis assistentiam disposuimus, hoc caeteris clericis etiam iubemus.

371. Postremum, animo toto commendamus clericis cunctis, eorum conscientiam onerantes, otium fugere et laborem assumere; illosque hortamur in Domino ut amicitia et caritate christiana sese invicem tractent atque diligant, ut in fraternae dilectionis spiritu coadunati, sint Parochis levamen, populo exemplum bonorum operum, in integritate, et in caritate firma atque in dulcissimo Corde Iesu Christi radicata.

TITULUS IX.

DE REGULARIBUS ET DE INSTITUTIS

VOTORUM SIMPLICIUM

372. Patres huius Concilii Provincialis proclamantes, plurimum ex monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriri, necessarium esse iudicamus, ut in hac nostra Provincia ecclesiastica semper fulgeant Regulares obedientiae, paupertatis et castitatis observantia, quam coram Deo et Ecclesia solemniter profitentur ac voverunt, una cum caeteris virtutibus statui suo specialiter respondentibus; ita ut in eis perfectio religiosae vitae vigeat in omnibus.

473. Speramus itaque sedulam curam et diligentiam Superiores Regulares adhibituos esse, ad omnem relaxationem suorum subditorum pro viribus vitandam, atque ad perfectam religiosam vitam servandam.

474. Ad quod, praeter proprias regulas et constitutiones, huius Provinciae Regulares prae oculis habeant decreta S. C. Episc. et Regul. *Quemadmodum* 17 Dec. 1890; *Auctis admodum* 4 Nov. 1892; *Singulari* 27 Martii 1896, aliasque canonicas praescriptiones, praesertim recentiores.

SUBSECTIO II.

DE COETIBUS CHRISTIANIS

477. Cum de personis individuís in Subsectione praecedenti dixerimus, nunc de personis collectivis seu de coetibus aut ordinibus quibusdam, quos efformant christiani, Nobis tractandum est. Coetus autem de quibus hac in divisione loquemur sunt qui sex in sequentibus Titulis ita comprehenduntur: - Titulus I. De Concilio Provinciali. - Titulus II: De Synodo Dioecesana. - Titulus III: De Capitulis. - Titulus IV: De Seminariis. - Titulus V: De Paroeciis earumque regimine. - Titulus VI: De Nosocomiis, Orphanotrophiis atque Hospitiis.

TITULUS I.

DE CONCILIO PROVINCIALI

476. Ad Metropolitam, qui iurisdictionem habet in Provincia, ut dictum alias fuit, ius convocandi Concilium Provinciale attinet.

477. Cum sit in Romano Pontifice omnimoda potestas, potest, si ita ipsi videbitur, ab hac lege congregandi Provinciale Synodum dispensare; et dispensat, quando ad illum Archiepiscopi confugiunt, eximi ab huiusmodi convocatione deprecantes.

478. Quando Reverendissimus Archiepiscopus cano-

nice sit impeditus, tunc Suffraganeus antiquior, tempore praescripto, convocare debet alios Consuffraganeos, qui tali in casu, tenentur Episcopo antiquiori obsequium praebere, ut si Metropolitanae parerent. Si Archiepiscopus e vita evaserit, sede vacante, Suffraganeo etiam antiquiori competit Concilium cogere.

479. In Provincia Concilium congregandum est, et in ipsa Ecclesia Metropolitana; quod si aliqua sint difficiliora ad removenda obstacula, Archiepiscopo seligere fas erit locum, qui facilis sit omnibus Suffraganeis, ut sine discrimine possint incolumes ad Synodum convenire tempore assignato.

480. Sicut ius convocandi ad Metropolitanam attinet, sic praeesse et dirigere illi propria sunt; ius enim illi obligationem dedit in Ecclesiam, et ius ad sequentia donavit. Metropolita legitime impedito, iuxta a S. C. Tridentino dispositum, ius convocandi et caetera exsequendi antiquiori competit Suffraganeo.

481. Convocandi sunt ad Concilium Provinciale ii quos de iure aut consuetudine designatos invenimus.

482. Illi vero qui tenentur ad Synodum Provinciale convenire, et sine legitimo impedimento abfuerint, puniendi sunt.

483. In huiusmodi Concilio ea quae ad fidem pertinent definiri non debent: tales enim definitiones solummodo Summo Pontifici aut Concilio Oecumenico reservantur. Idem dicitur si de Disciplina generali agatur: nihil enim Synodus Provincialis contra canonicas dispositiones statuere potest, nisi expressum privilegium adsit.

484. Disquirere autem Provincialia Concilia possunt aliquas fidei novas quaestiones, sed Apostolicae Sedi utpote infallibili Magistrae veritatis, ultimum iudicium relinquendo.

485. Haec Provincialis Synodus exoptat ut Episcopi nominare non desint iudices synodales, quibus a Summo Pontifice causae committantur.

TITULUS II.

DE SYNODO DIOECESANA

486. De hac Synodo agentes, rem totam ita exponemus in hoc Titulo, ut in ipso agamus de personis, de obiecto, de decretis ac de memoratae Synodi publicatione, modo sequenti:

487. Ipse Episcopus non modo Synodi est praeses, sed unicus, qui in eadem ius habet ferendi leges; et quamvis adstantium consilium exposcat, non tamen cogitur illud sequi. Unde ad eum pertinet non tantum Synodum indicere, eique praeesse, verum etiam res deliberandas proponere, easque (nisi de re agatur in qua iura Capituli eius consensum exigunt), auditis aliorum sententiis, suo arbitrio definire, ideoque decreta suo nomine inscribit, et solus subsignat. Post Episcopum ii sequuntur, qui et vocari debent et adesse tenentur. Hi vero sunt: Canonici Ecclesiae Cathedralis, et Curati ac Beneficiati, nisi adsit consuetudo, vi cuius interveniat totus Clerus.

488. In casu autem, quo in Synodo agendum sit de reformatione morum, vel de alia re, quae Clerum universum spectet, omnes Presbyteri et Clerici interesse debent. Tunc tamen, si Episcopus acturus sit super aliquo ex praemissis, verbis specificis, in Edicto conconvocationis mentionem facere debet. « Ratione tamen

parochialium, ait Tridentina Synodus ¹ aut aliarum saecularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse ».

489. Synodi obiectum sunt ea quae necessaria vel utilia sunt, et spectant ad abusum corrigendos, virtutes promovendas, disciplinam instaurandam. Ad ipsam quoque pertinet Decreta Concilii Provincialis aliarumque legum observantiam promovere. Attamen de quaestionibus, quae in scholis agitantur, nihil decernat. Potest equidem aliquid statuere praeter ius commune, sed statuta eius quae iuri communi adversantur, firmitate carent. Prudenter infligat censuras, et absteineat a nimia severitate, atque ab immoderata casuum reservatorum extensione.

490. Leges synodales debent esse utiles, claris verbis concinnatae, et loco ac tempori convenientes. Episcopus consilium Capituli requirat, etsi non teneatur illud sequi. Leges synodales, sine consilio Capituli editae, non valent, cum deficient a norma praescripta.

491. Publicatio eo modo facienda est, qui sufficiens sit ad Decretorum notitiam afferendam iis, quorum interest; ideoque quoad Decreta, quae solum Clerum respiciunt, sufficit lectio quae in Synodo fit; quoad vero Decreta, quae ad totum populum spectant, publicatio fiet vel per lectionem in Ecclesia Cathedrali, vel per edictum publice affixum, vel alio simili efficacie modo.

¹ Sess. XXIV, cap. 2, de ref.

TITULUS III.

DE CAPITULIS

492. Eo quidem fine Capitula Ecclesiarum Cathedralium instituta sunt, ut et cultus divinus recte et maiori qua fieri possit maiestate celebretur, et Episcopo sint auxilio in Ecclesiae regimine, in quo etiam, Episcopo deficiente, vices eius suppleant. De primo enim nihil dubium, quum Cathedralis Ecclesia dignior sit aliis eiusdem Dioeceseos Ecclesiis, ut ipsius nomen indicat. Divinus igitur cultus in ea, quoad fieri possit, splendidior esse debet. De secundo merito dicitur in Cap. Novit. *De his quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli*: « Novit plenius tuae discretionis prudentia, qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, et fratres tui membra esse comprobentur. Unde nec decet, omissis membris, te aliorum consilio in Ecclesia tua negotiis uti, cum id non sit dubium, et honestati tuae, et sanctorum patrum institutionibus contraire »; et Sancta Tridentina Synodus ¹ Capitulum ita se gerere debere statuit « ut merito Ecclesiae Senatus dici possit ». Quoad vero tertium, notum est omnibus, mortuo Episcopo, Vicarium Capitularem eligi a Capitulo ad Dioecesim regendam. Quae cum ita sint, et attentata connexione intima, quam Ecclesia et eius Capitulum inter se in Cathedralibus habent, Synodus nostra quaedam decernenda, quaedam vero in memoriam revocanda censuit.

¹ Sess. XXIV, cap. 12, de ref.

Acta et Decreta.

CAPUT I.

De Ordine Sacro in Beneficiariis Capitulorum.

493. Licet ex rigore iuris non ad omnia illa beneficia obtinenda requiratur Sacer Ordo Presbyteratus, verum Sancta Tridentina Synodus[†], postquam generaliter praecepit quod in omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus et Portiones annexum habeant Ordinem Presbyteri, Diaconatus, vel Subdiaconatus, adiecit post pauca: « Ubi vero consuetudo laudabilis habet ut plures, vel omnes sint Presbyteri, omnino observetur ». Quoniam autem Cathedralis Ecclesia Guadalaxarensis hanc laudabilem consuetudinem habet, ut omnes obtinentes et Dignitates et Canonicatus et Portiones integras et dimidias Portiones Presbyteri sint; hanc consuetudinem omnino observari volumus.

494. Caeterae huius Provinciae Cathedrales conformentur, hac in re, Cathedrali Ecclesiae huius civitatis Metropolitanae.

CAPUT II.

De muneribus Beneficiorum in Provinciae huius Capitulis.

495. Assidua est in primis, in huius civitatis Cathedrali, Capituli assistentia ad Officia Divina publice in eodem templo vel recitanda vel canenda, atque ad Missae Sacrificium solemniter quotidie celebrandum.

496. Praesto etiam sunt Archipraesuli assistentes

[†] Sess. XXIV, cap. 12, de ref.

huius Capituli Beneficarii, dum Missam solemniter celebrat, sive in Cathedrali, sive in alio templo, atque etiam quando ille adest Missae solemnium, ipso non celebrante, necnon et quando ordines confert.

497. In aliis etiam quae ad Ecclesiae utilitatem pertinent, libenter Praesuli inserviunt, et Dignitates obtinentes, et alii Capituli beneficarii, sive munus Provisoris et Vicarii Generalis alicui eorum adiungatur; sive a secretis Archiepiscopo adesse debeat; sive Archipraesule absente aut infirmitate impedito, Archidioeceseos gubernationem aliqui de Capitulo gerere debeant; sive Seminarii regimen, vel scientias in eo docendi ipsis adiungatur munus; aut de libris et concionibus, aliisque quibusvis scriptis quae per typographiam publica sint facienda, theologicum ab eis iudicium petatur; aut munus confessarii Monialium illis detur; vel examen Ordinandorum, aut illorum sacerdotum qui parochialia munera debeant obtinere, aut ad audiendas confessiones sint approbandi, ipsis committatur; sive de arduis negotiis theologicis, vel canonicis consultationes ab ipsis petantur; et sic de aliis.

TITULUS IV.

DE SEMINARIIS

498. Optatissima nobis nunc advenit opportunitas Seminaria nostra in melius ordinandi, quam quidem adeo peramanter arripimus, ut si praeter hoc, in hac Provinciali nostra Synodo, nullum aliud fuerit perfectum negotium, hoc uno ad optatum exitum deducto, maximam curis Nostris putarem datam fuisse compensationem.

Minime enim nos fugit quantum iuvamen solatiumque inde accipiat Mater Ecclesia.

499. Quapropter Prima Guadalaxarensis Provincialis Synodus secum reputans « cleri instituendi excolendique cura nullam Episcopo maiorem neque uberiolem esse », consulere exoptat « quemadmodum disciplina et rectio clericorum sacris in Seminariis ad tridentinas exigenda normas, quibusnam praecipue rebus alenda in eis pietas et generosa virtus, quaenam maioribus doctrinis, ut congruenter temporibus floreat, incitamenta adii-cienda, in omnique clero quaenam ad ampliora animorum lucra sint providenda »¹.

CAPUT I.

De conformitate Seminariorum in Provincia cum regulis tridentinis et inter se.

500. Illud equidem in primis curandum est, Seminariis nostris penitus ad Tridentini normas conformandis, ut ipsorum aditus non nisi illis pateat iuvenibus « quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros »².

501. Cum innecessarium sit, non praecipimus sed potius enixe commendamus, ut tum in civitate Metropolitana, tum in Dioecesibus Provinciae nostrae, Seminaria ita conserventur et foveantur, ut ad perfectionem et altitudinem quam praesens rerum ordo, et temporum adiuncta exigunt, perveniant; curantibus ipsis Episcopis, ut praedicta Seminaria regantur et moderentur iuxta statuta atque decreta Tridentina ac iuxta privi-

¹ Leo XIII ad Austriae Episcopos, 30 Martii, 1891.

² Trid. Sess. XXIII, cap. 18, de ref.

legia, noviter erectis Dioecesibus, a Sancta Sede concessa. Si autem acciderit grave aliquid in praxi, ita ut praescripta a S. Tridentina Synodo non stricte adimpleri possint aliqua in Dioecesi, consulat opportune Episcopus Sacram Concilii Congregationem, ut inde quid sibi agendum sciat.

502. Praecipue volumus ut Seminarii subsidia, iuxta Tridentini decretum, in alendis et religiose educandis et in ecclesiasticis disciplinis instituendis pauperum filiis, maxime impendantur. Minime autem e Seminario ditiorum filii exclusi censeantur, modo suo sumptu alantur, et studium prae se ferant Deo et Ecclesiae inser-viendi.

CAPUT II.

De Seminariorum constitutione in Provincia.

503. Cum Seminarium dicatur institutum scientificae et religiosae disciplinae, ab Episcopo fundatum et sustentatum ad iuventutis Ecclesiae inserviturae formationem et educationem intendendam, iuxta formam Concilii Tridentini; ut recte et fructuose tale institutum dirigatur, iis statutis praeceptisque subiici oportet, quibus melius forma sua determinetur, luculentius obiectum suum dignoscatur, optimeque cursus eius perficiantur. Huiusmodi autem Statuta et praecepta simul sumpta, audit *Constitutio*. Quoddam vero in his fixum et quasi immutabile concipitur, quod institutum in quodam ordine constituit, et hoc *Fundamentum* est. Quoddam intra eundem ordinem alterabile, sed sua constantia donatum, quod ambulandum iter quasi sternit, et hoc est *Ratio Studiorum*. Quoddam denique nimis varia-

bile, quod cursum dirigit, et hoc est *Norma pro tempore distribuendo*.

504. Harum ecclesiasticarum institutionum finis semper fuit sanam iuventuti impertire doctrinam, qualis ex Evangelii claritate in scientiarum ordinem infusa, procedit: ita ut elementum illud supernaturale directe ad educationem et formationem puerorum influat, sitque morum tum familiae tum societatis norma, qua plenius atque cumulatus instaurationem per Iesum Christum factam ac deinceps per Ecclesiae ministerium continuatam, adipiscatur.

505. Hinc patet id esse intendendum, ut seminarium doctrina Christi imbuatur, ex ratione quoque, quod impietas huius saeculi ex educatione puerorum arma sibi fecit, quibus Ecclesiae castra non parum laebefactavit. Nam quia novit impietas revelationis lumen scientiis robur addidisse, excellens sibi praesidium adesse putavit quo pessimum scopum perficeret, si scientias ipsas sic roboratas a revelatione seiungeret, immo et prorsus abalienaret.

506. Unde Seminarium laborare debet ut concordiam duorum ordinum, naturalis nempe et supernaturalis, in scientiarum ambitu patefaciat, atque influxum salutarem in hominum conscientias et populorum legislationes inde transfundat.

507. Sed obiectum in quod maxime intendere debet Seminarium est institutio iuvenum qui munus altissimum atque praestantissimum sacerdotii in posterum accipient, cuius rei gratia alumnorum vocationes pietatis praxi fovere et christianae scientiae illustratione evolvere tenetur.

508. Ad Seminarium disciplinam spectat, praeter orationis ac Sacramentorum frequentiam et praeter separa-

tionem congruentem alumnorum incipientium a caeteris, et assiduam omnium vigilantiam a Superioribus, atque otii et vaniloquii vitiationem perpetuam, pias societates et sodalitates statuere, ad quas omni tempore alumni sunt invitandi, maxime vero ab studiorum inceptu, ut qui ad sacerdotium vocantur, non modo sese bene gerant, sed etiam optimum suum propositum in dies firmetur, atque ita eo stabilitatis deveniat, ut inter iuvenilis aetatis pericula incolome servetur.

509. Itaque sit in Seminario Sodalitas Adorationis Perpetuae Almi Sacramenti, qua SS^{mae} Eucharistiae devotio foveatur. Habeatur etiam ad iuvenum aedificationem et in operibus pietatis formationem, S. Aloysii Gonzagae, Angelici iuventutis Patroni, Societas; utque societatis huius sodales quamplurimis spiritualibus perfruantur gratis, quibus a Summis Pontificibus ditata est, huius petatur aggregatio ad illam Primo-Primariam Romae statutam. Eodem fine sit S. Iosephi B. Mariae Virginis Sponsi Sodalitas. Denique ut caritatis operibus assuescant iuvenes, Immaculatae V. Mariae de Guadalupe Consociatio quoque stabiliatur.

510. Praecipua Ecclesiae festa in Seminario celebrentur, Resurrectionis, scilicet, et Pentecostes, Epiphaniae, Nativitatis Domini, Ascensionis; Corporis Christi, et Assumptionis B. M. V.; necnon S. Patroni Instituti ipsius, ac Patronorum Societatum supra dictarum et Academiarum de quibus infra dicitur, et mensis maius denique B. Mariae Virginis dicatus. Quod si ex his quaedam sive D. N. I. C., sive B. M. V., in id temporis inciderint festa, quo ab studiis vacant omnes, hisce in casibus eadem vel intra laborum tempus scholarium transferantur, vel omitti poterunt iuxta Ordinarii praescriptum.

511. Sit etiam singulis mensibus sollemnis Missa in honorem S. Patroni Instituti, servatis rubricis et decretis S. R. C.

512. Iuvenes, qui Sacrae Theologiae et Iuris studio incumbunt, confiteri semel saltem per hebdomadam tenentur, et Sacram Eucharistiam sumere, iuxta confessoris iudicium; caeteri vero seminarii clericalis alumni idem faciant singulis saltem quindecim diebus.

513. Quisque cursus alumnorum S. Patroni peculiaris, quem suorum studiorum Protectorem elegerit, imaginem apud aulam habeat, et ad laborum tum initium tum finem, quotidie, assuetis precibus, invocabit.

514. Ut nullum denique dissipationis sit incitamentum his, qui ad Sacros Ordines suscipiendos parantur, immo et ut Seminarium antiquissimae stet disciplinae, mulierum ingressus per studiorum tempus interdicitur omnino.

515. Libri scientifici aliique in Seminario ad rerum disciplinam adhibeantur, qui fidei non adversentur nec bonos mores labefactent. Quotiescumque igitur adoptandus est liber, qui studio peragendo videatur idoneus, Episcopo ante proponatur, qui annuet renuetve, iuxta censorum iudicium, eiusdemque Episcopi sententia per litteras Seminarii Rectori nota fiat.

516. Quoad autem libros adhibendos de rebus theologicis et philosophicis, illos adoptare oportet, qui puriore perspicuitate Angelici Doctoris doctrinam exponant, quam sapientissimus Pontifex Leo XIII iterato commendavit; sed talis eorumdem librorum forma et methodus esse debet, ut non extranei hodiernis scholarum veris ideoque sanis progressibus reputentur. Morum autem doctrinam consuetum erit tradi iuxta S. Alphonsi M. de Ligorio multoties commendatum systema.

517. Libri de quibus in praecedenti sermo est, latina lingua sint conscripti, quippe qui non parum iuvant acquisitioni linguae, qua Ecclesia, ut sua, utitur.

TITULUS V.

DE PAROCHIIS EARUMQUE REGIMINE

518. Cum Parochia in iure denominetur, locus limitibus conscriptus, ubi Parochus pastoris spiritualis officia erga illius loci habitatores exercet sub Episcopi dependentia, actus parochialis officii reducuntur ad tres, scilicet: munera, iura et functiones. Sed quia de iuribus et muneribus semper correlativa est ratio, et etiam honores includi soleant inter iura, ea considerando divisa in honorificentia et utilia, hac de causa, id ipsum quod sub uno respectu munus est, sub alio ut ius considerari potest; quod si praeeminentiam et honorificentiam praestet, functio vocabitur. Munus obligationem praefert et onus; ius, utilitatem et exclusionem; functio vero honores et praeeminentias, ut Benedictus XIV habet: « Quae in earum exercitio praefert se ferunt quamdam honorificentiam et praeeminentiam ».

His consideratis, duo in Capita Titulum hunc distribuemus, quorum erit: 1^{um} de praecipuis Parochorum Obligationibus: 2^{um} de Parochorum Iuribus.

CAPUT I.

De praecipuis Obligationibus Parochorum.

519. Professionem fidei emittere iuxta formam supra dictam (etiam si Parochi ad nutum sint amovibiles), non

vero per procuratorem, sed per seipsos, Parochi tenentur.

520. In sua Parochia residere debent in domo parochiali, si adsit, sin minus vicina in domo ecclesiae parochiali, ut melius templo deserviant et commodo fidelium. Constans autem et continua Parochorum debet esse residentia, sicut constantes necnon quotidianae sunt fidelium necessitates sibi commissorum ab Episcopo.

521. Certum est Parochos ad residentiam teneri sub gravi peccato, quia Synodus Tridentina eadem de Curatis inferioribus decernit ac de Praelatis, de quibus loquens, in eodem capite affirmat eos mortalis peccati reatum incurrere, si non residentiam, a Concilio statutam, observent.

522. Missam applicare tenentur pro populo diebus dominicis et festis de praecepto, non obstante quavis contraria consuetudine, ut constat ex Concilio Tridentino¹ his verbis: « Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere; pro his sacrificium offerre etc. ». Quoad contrariam consuetudinem etiam immemorabilem, addit Benedictus XIV, pluries a S. Congregatione fuisse responsum: *huiusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragare*².

523. Sed Parochi etiam amovibiles tenentur ad celebrandum pro populo diebus festis etiam legitime suppressis. Colligitur ex plurimis S. Congregationis Concilii instructionibus, et ex Encyclica Pii IX, « *Amantissimi Redemptoris* », 3 Maii 1858 ad Episcopos universi orbis

¹ Sess. XXIII, cap. 1, de ref.

² Bul. *Cum semper*.

directa, in qua sic legitur: « Hisce litteris declaramus omnes animarum curam actu gerentes, Sacrosanctum Missae Sacrificium pro populo sibi commissio celebrare et applicare debere, tum omnibus diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam qui, ex huius Apostolicae Sedis indulgentia, ex dierum de praecepto festorum numero sublatis et translatis sunt... Id unum excipimus, ut scilicet, quando una cum solemnitate Divinum Officium translatum fuerit in Dominicam diem, una tantum Missa pro populo sit a Parochis applicanda ».

524. Tenentur Parochi, etiam amovibiles, nisi sint legitime impediti, populo Evangelium praedicare, diebus dominicis et festis solemnibus; et ad hoc tenentur iure divino.

525. Parochi obligationem habent doctrinam christianam pueros docendi, quod munus Concilium Tridentinum, ut supra iam meminimus, sic declaravit: « Item etiam, saltem Dominicis et aliis festis diebus, pueros, in singulis Parochiis, fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt Ordinarii, et, si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus »¹.

526. Parochorum est administrare Sacramenta propriis subditis, quod ius quidem est, et officium simul essenziale. Administranda autem sunt iuxta formam Ritualis Romani, cum intentione, saltem implicita, faciendi quod facit Ecclesia, et cum subditorum necessitas postulet, etiam periculosis temporibus et contagiosis. *In hoc enim cognovimus charitatem Dei, quoniam ille ani-*

¹ Sess. XXIV, Cap. 4, de ref.

mam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere ¹.

527. Si vero aliquis Parochus tam pravus esset, ut Sacramenta subditis suis ministrare recusaret, praeter animarum perditionem, de quibus Deo reddet rationem, severe plectendus est, servatis servandis, iuxta canonicas, etiam cum depositionis gravissima poena.

528. Parochi per se ipsos, vel si legitime impediti, per aliquem Vicariorum Parochialium, aut per alium ecclesiasticum, publicare tenentur Matrimonia, litteras Ordinarii ad candidatos Ordinum Sacrorum spectantes, et alia quae ad Parochorum officia attinent.

529. Debent Parochi, etiam ad nutum amovibiles, Synodo Dioecesanæ interesse.

530. Parochi exercitiis spiritualibus vacent eo tempore, quo Episcopus eos convocare putabit.

CAPUT. II.

De iuribus Parochorum.

531. Ius habent Parochi sequentia Sacramenta subditis suis conferendi: Baptismum, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, necnon et eorum Matrimonio assistendi.

532. Vi officii sui, Parochus, iurisdictionem *pro foro interno* habet in sua Parochia; eam tamen habet dependentem ab Ordinario quoad culparum reservationem; sed sine legitima causa non potest prorsus auferri aut adeo minui ut fere inanis remaneat.

533. Cum ad Episcopum pertineat dividere et applicare oblationes ad procurandam sustentationem Parochis,

¹ III Ioann. 16.

Vicariis, aliisque Sacerdotibus, quorum ministerio Parochiae indigent et in auxilium venire Parochiis indigentibus, dicente Concilio Tridentino ¹: « In parochialibus ecclesiis, quorum fructus adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per unionem Beneficiorum id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum aut per parochiarum symbola ac collectas, aut qua commodiori ratione ei videbitur, tantum redigatur quod pro Rectoris aut Parochiae necessitate decenter sufficiat », Parochi ius habent ad illam oblationum partem quae ab Ordinariis hoc modo pro iisdem assignetur. Sed item Parochi obligati sunt aliquid Episcopo dare de oblationibus, ad subveniendum Presbyteris infirmis vel senio confectis, ut statuit Concilium Lateranense ²: « Sustinemus, inquit Concilium sub Alexandro III, pro multis necessitatibus, quae aliquoties superveniunt, ut si manifesta ac rationabilis causa exstiterit, cum caritate moderatum a Rectoribus Parochianorum valeant auxilium postulare ».

534. Ius habet Parochus collectas facere in Parochia sua ad divinum cultum fovendum, et huiusmodi oblationes administrare, sub Episcopi dependentia.

535. Ad Parochum etiam pertinet recipere *iura* quae vocantur *parochialia*, iuxta legitimas taxationes, eorumque et oblationum reddere rationem eo tempore ac forma, quae ab Episcopo praescripta fuerit.

536. Ius sepeliendi subditos suos ad Parochum pertinet, exceptis quibusdam casibus a iure determinatis.

537. Ius habet Parochus emolumenta ex funeribus provenientia percipiendi. Ad rem autem tria meminisse

¹ Sess. XXIV, cap. 13, de ref.

² Cap. *Apostolus* 6, De censibus.

oportet: 1.º Tenetur Parochus, vi muneris sui, officium sepulturae pauperibus gratis facere: 2.º Quoad caeteros, si extraordinarium modum postulent, verbi gratia, Missam cantatam aut alia indebita, pro huiusmodi funeribus Parochus stipendium exigere potest, iuxta taxationem parochialem ab Episcopo approbatam. « Parochi, inquit Rituale Romanum, iis eleemosynis contenti sint, quae, aut ex probata consuetudine dari solent, aut quas Ordinarius constituerit »: 3.º Quando aliquis Parochi subditus sepelitur in aliena ecclesia, relicta propria, iuxta S. Congr. Rituum¹, Parocho non licet facere officium super cadaveribus tumulandis, sed iura parochialia illi debentur, ad normam canonicarum praescriptionum.

TITULUS VI.

DE NOSOCOMIIS, ORPHANOTROPHIIS ATQUE HOSPITIIS

538. Ab initio vigili cura providit Ecclesia aegrotis atque miseris, ad quorum levamen atque victum et corporum et animarum ex oblationibus vel cessionibus fidelium necessaria destinavit. Postea quoque plurimis iuribus ornatas domus erexit ad hospitalitatem fovendam, et Tridentina Synodus multa edidit decreta pro subsidio peregrinorum, aegrotantium, senium ac pauperum exercendo. Eodem caritatis spiritu ductum, Concilium Provinciale nostrum circa Beneficentiae Instituta, haec libenter, quae sequuntur, decernit.

¹ Nov. 29 an. 1628.

CAPUT I.

De Nosocomiis.

539. Nosocomia, quae instituta fuerint ab aliqua religiosa Confraternitate, Ecclesiae potestati in omnibus subiaceant, quoad statuta et regulas moderationis. Unde Episcopus et vitae spirituali et temporalibus bonis providebit, et ipsius erit Episcopi, vel Vicarii Generalis, vel Parochi, de licentia Ordinarii, quidquid ad Instituta illa spectent, curare.

540. Si Nosocomium sub potestate civili sit, Parochus de spiritualibus, in quantum adiuncta temporum patiantur, in illo curet. Sit itaque ibi Missae celebratio, atque facilis Sacramentorum administratio concedatur, et sacerdotes deputentur idonei, qui doctrinae evangelicae atque Sacramentorum auxilia aegrotantibus caeterisque in hisce domibus viventibus, distribuunt.

541. Magna prudentia et caritate pollere Parochum oportet ad superandas, quae obviae illi sint, difficultates in sacerdotali munere exercendo, praesertim iis locis, ubi penes homines, minime religioni faventes, valetudinarios administratio sit. Prudenter igitur cum auctoritate civili Parochi cuncta componant, ut, quoad fieri possit, omne quod contra religionem aut bonos mores in Nosocomiis laicis repertum fuerit, corrigi ac emendari fas sit, sive per conciones ad mores atque ad catholicam doctrinam pertinentes, sive per Sacri celebrationem, ac Poenitentiae et Communionis susceptionem, praesertim annuam.

542. Sodalitia caritatis, sub nomine Societatum Sancti Vincentii de Paulo, magnum ferunt auxilium Parochis ad curam Nosocomiorum eorumque foundationem.

In unaquaque igitur Parochia curetur, ut existant et Nosocomia et Sodalitates fungentes christiano spiritu officio erga infirmos, et in corporalibus et in spiritualibus, sub directione sacerdotis Cappellani.

CAPUT II.

De Orphanotrophiis atque Hospitiis.

543. Ex eo quod non satis est, hisce praesertim temporibus, Sacramenta administrare atque Dei verbi panem dispensare, sed valde ad Religionis incrementum et pauperum necessitatibus subveniendum perutile est caritatis officia erga corporales necessitates exercere, quo medio etiam religiosa educatio promovetur et diffusio Protestantismi impeditur; hoc Provinciale Concilium Guadalaxarense maxime commendat Parochis caeterisque, quorum sit curare de animarum salute, ut vel super fundata Orphanotrophia et Hospitia invigilent, vel de fundandis serio cogitent.

544. Circa haec vero Orphanotrophia et Hospitia serventur quae de Nosocomiis dicta fuerunt, habita ratione debitae proportionis.

SECTIO II.

DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS

545. Dominus Noster Iesus Christus Redemptor generis humani, Auctor et Consummator Fidei, venit in hunc mundum, ut ii qui erant sub potestate tenebrarum sedentes in umbra mortis, vitam haberent et abun-

dantius haberent: quae vita quidem fluxit ex meritis ipsius Passionis et Mortis, quibus Patri suo satisfacit pro totius mundi peccatis, indeque emanavit illa coelestis gratia, quae hominibus tantam redemptionem recipientibus, daret potestatem filios Dei fieri. Exinde, ut illam spiritualem vitam hominibus visibiliter communicaret, ipse Salvator instituit septem Sacramenta, Baptismum, scilicet, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam-Uctionem, Ordinem et Matrimonium, quibus tantam vim et efficaciam contulit, ut invisibiliter operarentur in anima quod significat unumquodque Sacramentum rite confectum a legitimo ministro, cum debita intentione et forma prolata. Et quoniam haec Sacramenta novae legis sunt per quae, ut inquit Tridentinum Concilium, omnis vera vita vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur, Synodus haec Provincialis, quae sequuntur vel mente recoli vel executioni mandari praecipit, tribus in titulis seiuncta, hoc modo: I. De Sacramentis in communi: II. De Sacramentis in specie: III. De Sacramentalibus.

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI

546. Quae dicturi sumus quoad rem, tria dividimus in capita, nempe: de Sacramentorum dignitate ac necessitate, de eorundem Ministro et de rituali administratione.

In unaquaque igitur Parochia curetur, ut existant et Nosocomia et Sodalitates fungentes christiano spiritu officio erga infirmos, et in corporalibus et in spiritualibus, sub directione sacerdotis Cappellani.

CAPUT II.

De Orphanotrophiis atque Hospitiis.

543. Ex eo quod non satis est, hisce praesertim temporibus, Sacramenta administrare atque Dei verbi panem dispensare, sed valde ad Religionis incrementum et pauperum necessitatibus subveniendum perutile est caritatis officia erga corporales necessitates exercere, quo medio etiam religiosa educatio promovetur et diffusio Protestantismi impeditur; hoc Provinciale Concilium Guadalaxarensis maxime commendat Parochis caeterisque, quorum sit curare de animarum salute, ut vel super fundata Orphanotrophia et Hospitia invigilent, vel de fundandis serio cogitent.

544. Circa haec vero Orphanotrophia et Hospitia serventur quae de Nosocomiis dicta fuerunt, habita ratione debitae proportionis.

SECTIO II.

DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS

545. Dominus Noster Iesus Christus Redemptor generis humani, Auctor et Consummator Fidei, venit in hunc mundum, ut ii qui erant sub potestate tenebrarum sedentes in umbra mortis, vitam haberent et abun-

dantius haberent: quae vita quidem fluxit ex meritis ipsius Passionis et Mortis, quibus Patri suo satisfacit pro totius mundi peccatis, indeque emanavit illa coelestis gratia, quae hominibus tantam redemptionem recipientibus, daret potestatem filios Dei fieri. Exinde, ut illam spiritualem vitam hominibus visibiliter communicaret, ipse Salvator instituit septem Sacramenta, Baptismum, scilicet, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam-Uncionem, Ordinem et Matrimonium, quibus tantam vim et efficaciam contulit, ut invisibiliter operarentur in anima quod significat unumquodque Sacramentum rite confectum a legitimo ministro, cum debita intentione et forma prolata. Et quoniam haec Sacramenta novae legis sunt per quae, ut inquit Tridentinum Concilium, omnis vera vita vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur, Synodus haec Provincialis, quae sequuntur vel mente recoli vel executioni mandari praecipit, tribus in titulis seiuncta, hoc modo: I. De Sacramentis in communi: II. De Sacramentis in specie: III. De Sacramentalibus.

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI

546. Quae dicturi sumus quoad rem, tria dividimus in capita, nempe: de Sacramentorum dignitate ac necessitate, de eorundem Ministro et de rituali administratione.

CAPUT I.

De Sacramentorum dignitate ac necessitate.

547. Magna equidem est excellentia omnium Ecclesiae Sacramentorum, quippe quae omnia causant gratiam, qua participes nos faciunt amicitiae Dei et divinae naturae consortes.

548. Non tamen omnia sunt paria nec aequalis dignitatis, sed alia aliis digniora; sicut nec omnia singulis necessaria sunt ad salutem.

549. Quapropter monitos esse volumus Parochos docere frequenter fidelem populum, facilitate et simplicitate sermonis, ea omnia quae ad veram et salutarem Sacramentorum doctrinam pertinent, ne ignari et simplices in errores inducantur ab haereticis et ceteris dissidentibus, qui, hac nostra tempestate, fideles a catholica fide avertere conantur.

CAPUT II.

De Ministro Sacramentorum.

550. Cum D. N. Iesus Christus primo et per se operetur invisibiliter in Sacramentis, Minister visibilis, ordinatione divina institutus ad efficiendum et applicandum sensibile signum, existimari debet tanquam Dei cooperator, minister Christi, et gratiae divinae dispensator.

551. Omnis ergo, qui efficit vel ministrat aliquod Sacramentum, prae oculis semper habeat se opus divinum peragere ad sanctificationem animarum, non auro vel argento redemptarum, sed pretioso Agni immaculati Christi sanguine; ideoque accedat cum debita et reve-

renti attentione, nullius lethalis peccati conscius, ab omni cupiditate lucri temporalis immunis, excluso quocumque facto, contractu, hortatione aut conventionem directe vel indirecte, per se aut per alium, aliquod temporale sibi dandi tanquam pretium in Sacramentorum administratione.

552. Attamen, cum in Sacris Litteris contineatur quod qui apostolico munere funguntur digni sunt mercede sua, et qui in Sacratio operantur, quae de Sacratio sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant; indubie patet Christi fideles, divino iussu, ad contribuendum temporalia bona adstringi pro decenti et congrua sustentatione Ministrorum Ecclesiae, a quibus spiritualia munera recipiunt. Hoc igitur solo titulo, exclusa omni mente simoniaca, emolumenta sive stipendia pro sacris functionibus, liceat ipsis ministris recipere, sed in ea tantum quantitate quae in Provinciali Concilio aut in Episcoporum Provinciae Conventu, statuta et a S. Sede probata et sancita fuerit. Eam vero imminuant vel omnino remittant fidelibus, si pauperes sint, cum istis subveniendum sit iuxta canonicas praescriptiones.


CAPUT III.

De rituali administratione Sacramentorum.

553. Si Divus Paulus praecepit quod omnia honeste, et secundum ordinem fiant, potiori iure hoc praecceptum adimpleri debet in omnibus religiosis actibus a sacris ministris peractis, qui non a privatorum placito pendent, sed omnino perfici debent iuxta ritus ab Ecclesia Catholica receptos et approbatos; qui despici non

possunt nec sine peccato omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari.

554. Hi verum ritus et caeremoniae in Sacramentorum administratione observandi, minutatim in Rituali Romano, a Summo Pontifice Paulo V approbato et sancito, continentur: ideoque omnes, ad quos spectat Sacramenta efficere et ministrare, illud stricte sequantur.



Seorsim de unoquoque Sacramentorum, septem in Capitibus, loquemur in hoc Titulo.

CAPUT I.

De Baptismo.

555. Baptismus, Sacramentorum primum, illuminatio a SS. Patribus et Doctoribus appellatur; de tenebris enim ad fidei admirabilem lucem manuducit, ac propter hoc etiam Fidei et regenerationis sacramentum nominatur; quia homines ad vitam novam spiritualem ac divinam advocat; sigillum etiam dicitur, propter indelebilem characterem, quo filios Dei adoptivos insignat, et quia eos dignos facit qui ad coelestem patriam introeant. Persaepe etiam Baptismi nomine insignitur; baptismus enim ab omni macula baptizatum emundat, aquae lavacro in Verbo vitae, regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.

§ I.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

556. Cum hoc Sacramentum principium sit novae vitae sanctitatis et gratiae, et ianua verae Ecclesiae, aliorumque Sacramentorum participationis, absolute necessariam esse ad salutem eius de facto receptionem, aut ad minus in voto, confitemur; ipsius enim Auctor et Institutor hanc necessitatem sequente sententia proclamat: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei ».

557. Tantam Baptismi praestantiam atque necessitatem Parochi alique sacerdotes, quibus hoc competat, recogitent, non solum ad fideles erudiendos, sed etiam ad omne, quod divina institutione aut Ecclesiae praeepto, in eius administratione exigitur, rite accurateque servandum.

§ II.

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

558. Cum hoc Sacramentum a lavacro seu ablutione in verbo vitae constituatur, id est, per applicationem formae a D. N. Iesu Christo determinatae, materia necessaria ad Baptismi validitatem sola aqua vera ac naturalis est; sic ita ut alius quilibet liquor nullum faciat Sacramentum.

559. Usu autem et praeepto Ecclesiae et quidem antiquissimo, aqua ad Baptismum solemnem benedicta, cum Sacri Chrismatis atque Sancti Catechumenorum Olei infusione, esse debet, cuius equidem benedictio Sabbathi Sancto et Pentecostes solemniter fit.

560. Forma, qua ablutio in Baptismo determinari oportet ut Sacramentum fiat, est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

561. Baptismus privatus, scilicet, absque ritibus ac caeremoniis ab Ecclesia praescriptis, locum habere potest tantum in necessitate, ob timorem ne sine baptismo baptizandus pereat.

ALERE FLAMMAM VERITATIS § III.
DE HIS QUI BAPTIZARI POSSUNT AC DE DISPOSITIONIBUS AD BAPTISMUM RECIPIENDUM.

562. Cum hoc regenerationis Sacramentum ad emundandas maculas primi Adami generatione contractas institutum fuerit, omnis ex muliere natus, ut Baptismum recipiat necesse est; alias ad Ecclesiam, proindeque ad Dei regnum introire non poterit.

563. Ecclesiae constans usus est, ex Apostolorum traditione originem ducens, parvulos Baptismate initiare; sicque Parochis officium incumbit patres familias frequenter monendi ne filiis nuper natis Baptismum sine gravi causa differant.

564. Si infans nascens caput emitteret, instante mortis periculo, in capite absolute baptizetur; et si natus adhuc vitam conservat, non baptizari debet; sed si tantum alium motu vitali membrum emiserit, itidem parte in emissa baptizetur; natus autem si vita gauderet, sub conditione baptizetur, scilicet, dicendo: Si non es baptizatus, ego te baptizo.

565. Cum autem medicinae scientia hodiernis progressibus infantem immediate attingi posse matris in utero pro certo affirmet, instrumentis ad hoc aptatis, instrumentaliter sub conditione baptizari potest ante-

quam ex utero emergat, cum mortis periculum imminet; sed si natus supervivat, conditionaliter eum baptizari oportet.

566. Omnes foetus abortivi, si non constet certe de eius morte, semper sunt baptizandi sub conditione.

567. Patresfamilias, medici et chirurgi praemoneantur a Parochis, ut, quando oportuerit, curent non praetermittere operationem caesaream ad salvandam temporalem et aeternam vitam prolis in utero mortuae mulieris praegnantis clausae. Qua in re prae oculis habeatur decretum S. Officii 15 Febr. 1780.

568. Infantibus expositis Baptismi schedulam non ferentibus, si ex investigationibus praerequisitis de eorum Baptismate non constet, sub conditione baptisma administretur; si autem secum hanc schedulam ferant, nihilo minus sub conditione baptizari debent, nisi certo constet de persona quae schedulam scripsit, eaque examinata, omne dubium evanescat; sed, si certo de pueri Baptismate constat, tantum caeremoniae suppleantur.

569. Quoad monstra, Ritualis Romani monita atque praescriptiones serventur, Episcopi consultatione praehabita, nisi periculum mortis imminet.

570. Quamvis parvuli nulla personali dispositione ad Baptismum egeant, et in sola Ecclesia fide baptizentur; in adultis tamen dispositiones exiguntur. Et primo voluntas sincera diligenti examine probata, Baptismum accipiendi; secundo, in Fide sancta et moribus christianis, sicut et etiam in fructibus, officiis, muneribusque e sacramento emanantibus, conveniens instructio; tertio denique, operibus pietatis exerceri oportet. Diligenti vero cura inquirere necesse est, utrum ipsi nunquam baptismum receperint, vel si receptum, nullum aut dubium fuerit; hoc autem ad absolute seu conditionate

Baptismum conferendum: sed ante omnia Episcopus consulendus est, ut quod ei visum fuerit, peragatur; nullus autem catechumenus absque Episcopi approbatione baptizari debet, nisi mortis periculo instante.

§ IV.

DE BAPTISMI SACRAMENTI MINISTRO.

571. Minister legitimus huius Sacramenti est Parochus, vel alius sacerdos, accedente Parochi aut Ordinarii licentia.

572. Diaconus solum minister extraordinarius est in solemnibus Baptismi ritibus, sed tantum necessitate instante et habita legitima licentia, prout sacris canonibus praescribitur; si autem conferre solemniter Baptismum ausus fuerit, absque conditionibus praescriptis, poenae ab ipsis sacris canonibus impositae, iure eidem applicentur.

573. Baptismus privatus in necessitate a quolibet administrari potest, clericus sit sive laicus, fidelis sive infidelis, catholicus seu haereticus, homo aut mulier, modo substantiale et necessarium ad Sacramentum fideliter servent, scilicet, materiam et formam iuxta Ecclesiae intentionem; sed in hoc ministerio, inter eos qui id facere possint, Diaconus Sacerdoti in ordine hierarchico, mulier viro locum cedat, sed mulier quidem alteris praeferatur, cum pudicitia seu decencia id petant, vel quando magis quam viri praesentes circa modum et formam Baptismi instructa fuerit. Hac de causa Parochi procurent mulieres obstetrices vocatas, et quae ex officio parturientibus assistunt, recte instructas esse circa modum rite baptizandi.

573. Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, nisi in casu summae necessitatis, quando qui id facere possit deerit; nec tunc ullam contrahunt cognationem quae matrimonii usum impediat.

§ V.

DE TEMPORE ET LOCO AD BAPTISMUM MINISTRANDUM.

574. Nullum tempus ad Baptismi collationem praecise determinatur, cum ad salutem necessitate medii requiratur; hinc vel in interdicto aut a divinis cessatione administrari poterit: ritu autem Ecclesiae antiquissimo, duae sunt dies, scilicet, Sabbatum Sanctum et Pentecostes, praesertim deputatae ad Baptismum conferendum, quemadmodum ipso in tempore aqua baptismalis maioris solemnitatis ritu consecratur. Oportet, igitur, ut, si fieri possit, solemnioribus his diebus, Baptismum adultis conferatur.

575. Cum Baptismus, prout diximus, ianua Ecclesiae sit, et qui ius confert ad aliorum Sacramentorum receptionem, in templis praesertim quae ad Sacramenta administranda fidelibus in illis inscriptis destinata sunt, accipi debet.

576. Nemini licet Baptismum conferre in qualibet Ecclesia, Monasterio, Oratorio sive publico sive privato, sed tantum hoc Sacramentum ministrari potest in Ecclesiis in quibus fixe et habitualiter fons baptismalis habeatur.

577. Hac de causa, omnibus Ecclesiis Parochialibus et earum auxiliatricibus seu in quibus vicarii munere funguntur, ab Episcopo designatis, locus non desit, Baptisterium appellatus, ubi indesinenter fons baptismalis sit. Baptisterium decenter et religiose ita decorare oportet,

ut sit semper a qualibet immunditia expurgatum; aquam consecratam esse semper velatam decet, ut quidem de pulvere praeservetur, sicut et etiam Sanctorum Oleorum vasa et alia instrumenta ad Baptismum necessaria, Locus etiam visibilis habeatur quo ostendatur D. N. Iesu Christi imago ea ipsa actione qua a Sancto Ioanne baptizatur.

§ VI.

DE PATRINIS IN BAPTISMATE ADHIBENDIS.

579. Parochus antequam ad Baptismum procedat, diligenter inquirat quis vel qui a baptizandi patribus ut patrini, qui de fonte sacro baptizatum accipiant, designati fuerint, ut ad hoc officium non nisi personas dignas et aptas secundum ius admittat.

580. Porro parentes iure sibi proprio eligere debent eos qui hoc munere fungantur; ideoque Parochi prorsus abstineant in Baptismo nominare paternos, nisi cum parentes omnino eos eligere renuant, vel tales unice eligant, qui hoc implendo munere indigni reputentur.

581. Iuxta Sancti Concilii Tridentini praescriptiones, unus tantum patrinus, vir aut mulier, et duo ad summum esse debent, sed praecise vir et mulier esse oportet, nullo autem modo duo viri aut duae mulieres ad hoc officium admittantur. Si vero Parochi culpa seu negligentia contrarium factum fuerit, ipse ad Ordinarii arbitrium puniatur.

582. Patrini cum baptizato et patre eius et matre cognationem spiritualem contrahunt, et parentum in defectu, suorum filiorum spiritualium a sacro fonte susceptorum, christianam instructionem et educationem curandi officium suscipiunt: hoc autem patrinis, ne forte

ignorantia velint excusari, diligenter animadvertendum est.

583. Parochi etiam animadvertant quod neque infideles aut haeretici, neque publice excommunicati seu interdicti, aut publici criminosi seu infames, nec demum ii qui fidei rudimenta ignorant, ad patrini officium admitti queunt.

584. Neque demum ut Baptismatis patrini admitti debent Religiosi, aut Moniales, nec alii quicumque Regulares, sua per vota a saeculo seiuncti, cuiuscumque Ordinis sint.

§ VII.

DE SANCTIS OLEIS,

ALIISQUE REBUS QUAE IN BAPTISMATE ADHIBENTUR.

585. Sanctum Chrisma et Sacrum Oleum, catechumenorum appellatum, quae ad Baptismum deserviunt, intra annum, feria quinta in Coena Domini, consecrantur.

586. Sicque Parochis officium incumbit, quamprimum nova Olea sibi providendi, ut si fieri possit, ad baptismalis aquae consecrationem deserviant in Sabbato Sancto; sed si haberi non possunt hac cum opportunitate, ex legitima causa antiqua adhibeantur, donec nova accipiantur.

587. Olea Sancta in lagenis aut amphoris argenteis vel stanneis sollicitè serventur cum opertoriis decentibus, singulis quibusque claris signis inscriptis secundum eorum officia, ut erroris aut confusionis evitetur occasio. In Ecclesiae promptuario ad hoc deputato claveque occluso custodiantur, cuius clavis non nisi sacerdotibus, a quibus ea tractanda sunt, tradetur, ut scilicet sacrilega profanatio, et ne ea saeculares attin-

gant, sollicite vitetur. Praeterea, minima etiam Sanctorum Oleorum, vel antiquorum, portio, etiam pietatis causa nemini detur: et antiquorum reliquiae comburantur.

588. Sacrum Chrisma et Baptismatis Oleum, ipsa cum securitate, munditia ac decentia, duobus vasculis servantur, sed tali modo capacibus ut pollex in illis intingi possit, cum quo baptizatum ungi oportet. Illic etiam sal ad Baptismum exclusive ad hoc benedictum, sacra vestimenta, lintea, atque omne de quo in Baptismate usus est, nitide custodiantur.

CAPUT II.

De Confirmatione.

589. Si per Baptismum ad vitam novam renati sumus, per Confirmationem haec ipsa vita roboratur ad inimicos, qui eam impugnant, debellandos; hoc igitur Sanctum Sacramentum, quod manuum impositione et Sacri Chrismatis unctione confertur, gratiam roborantem producit per Spiritus Sancti diffusionem, ad corde credendum, ad iustitiam, et ore fortiter fidem confitentiam ad salutem. Quamvis vero Confirmatio necessario Baptismum supponat, diversa duo Sacramenta sunt, ambo siquidem a Christo Domino instituta. Sacramentum in super Confirmationis, sicut Baptismus et Ordo, characterem seu spirituale signaculum indelebile producit, et hac de causa, neque hoc neque Sacramenta praedicta iterari possunt, sed semel tantum accipi queunt.

§ I.

DE SUBIECTO ET MINISTRO CONFIRMATIONIS.

590. Quaevis persona cuiuslibet aetatis et sexus, modo baptizata sit, Confirmationem accipere potest, sed in adultis, rationis usu pollentibus intentio et voluntas eam recipiendi requiritur.

591. Ad fructus autem Spiritus Sancti assequendos, status sanctificantis gratiae necessarium est.

592. Solus Episcopus huius Sacramenti minister ordinarius est. Romanus autem Pontifex, suae potestatis plenitudine suprema, simplici Presbytero confirmandi facultatem, tanquam extraordinario ministro, delegare potest; hoc autem in eventu, sacerdos Chrismate ab Episcopo consecrato utatur.

§ II.

DE CONFIRMATIONIS PATRINIS.

593. Hoc in Sacramento, patrini habendi sunt qui confirmandos offerant, sed unus tantum pro unoquoque confirmando admittatur, eiusdem sexus, vir viro, mulier mulieri.

594. Confirmationis patrini confirmati esse debent; et non admittantur ii, qui in baptismo filii spirituales eiusdem patrini fuerint.

595. Caeterum, ipsa officia et spiritualem cognitionem cum personis, ac in Baptismatis Sacramento, contrahunt.

596. Eodem modo, qui ab hoc officio in Baptismate excluduntur, neque hic admittantur.

§ III.

DE TEMPORE, DISPOSITIONIBUS AC RITIBUS CONFIRMATIONIS.

597. Confirmatio quolibet tempore, die atque hora, ad Episcopi libitum, conferri potest.

598. Adulti ante omnia ad receptionem huius Sacramenti disponendi sunt, animis suis ab omni peccato mundatis; ut autem hoc faciliter ac secure habeatur, ipsi requisitis dispositionibus confiteantur.

599. In collatione confirmationis ritus a Romano Pontificali praescriptus servetur; omnes igitur qui eam accepturi sunt, a principio adsint; et curetur ut nullus confirmatorum recedat, antequam Episcopi postremam benedictionem accipiat.

600. Curent Parochi instruere fideles, ut hoc Confirmationis Sacramentum recipiant, data occasione.

CAPUT III.

De Sacrosancto Eucharistiae Sacramento.

601. Inter omnia pretiosa dona, quibus Dominus Redemptor Noster ornavit Ecclesiam suam, quippe dilectam Sponsam, nullum est neque tam magnum, dignum, excelsum et divinum, quam almae Eucharistiae sacramentum, in quo Christus ipse, verus Deus atque Homo, vere, realiter ac substantialiter continetur sub panis et vini speciebus, et futurae gloriae nobis pignus datur. Quapropter augustum hoc Sacramentum unitatis symbolum est; mysticum enim Christi corpus ad unicum suum caput iungit, cum omnia sua membra unione fidei, spei atque caritatis arcissimis vinculis constringat.

§ I.

DE SS. EUCHARISTIAE USU.

602. Quoniam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum non solum adorari debet, sed etiam ut nobis cibum afferat institutum fuit; cum hocce in pane substantiali atque divino, Caro et Sanguis Filii Dei nobis detur, quae in sanctitate et gratia ad vitam aeternam nutrit ac roborat, ipso Divino Redemptore Nostro dicente: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*¹, necessitas, divino praecepto, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum accipiendi existit, aliquoties durante vita mortali, atque in aditu ad aeternitatem; et Ecclesia tempus hocce praeceptum exsequendi determinavit, scilicet, saltem semel in anno, tempore prescripto, iuxta privilegia Americae nostrae concessa.

603. Parochi ante et durante quadragesimale tempus, fideles moneant et hortentur de praeceptorum executione adimplenda annuae Confessionis et Communionis, ideoque eos recte instruant atque disponant, ut ea congruenti tempore suscipiant.

604. Quamquam ad primi praecepti executionem, confessionem quolibet cum sacerdote legitime approbato facere sufficiat; Paschalis Communionis praeceptum non quidem impletur, nisi uniuscuiusque in Ecclesia parochiali fiat; proprius tamen Parochus, permittere potest, ut alia in Ecclesia praeceptum adimpleri possit.

605. Nemo autem peccato mortali inquinatus hocce

¹ Ioann. VI, 54.

praeceptum exequi potest, sed e contra horrendum sacrilegium committeret et suum iudicium et condemnationem manducaret. Hinc qui coelesti pane reficiendi sunt, seipsos probent, ut Div. Paulus praecipit; si autem mortali culpa sese maculatos inveniant, in statu gratiae gemitibus verae contritionis constituendi sunt; sed quantumvis aliquis contritum sese credat, non quidem hoc satis est, sed eum confiteri congruentibus dispositionibus opus est, et antequam Eucharistiae panem divinum comedat, absolutionem sacramentalem accipiat: praeterquam si casus venerit a Tridentino Concilio exceptus, de sacerdote qui Missam, necessitate urgente, celebraturus est, et desit illi copia confessarii; sed, transacta necessitate, ipse quamprimum confiteri debet.

606. Cum pretiosos atque copiosissimos fructus Sacratissimae Eucharistiae perceptio producat, non solum individuo, sed etiam familiis et societati; Ecclesiam semper approbasse atque diligenter commendasse Eucharistiae crebram receptionem constat, ita ut Sanctum Concilium Tridentinum fideles Sancto Sacrificio adstantes communicare non solum spiritualiter, sed sacramentaliter desideret. Hinc Synodus Provincialis non quidem potest, quin fideles hortetur ad crebram et dignam Communionem, praecipuis in Ecclesiae festivitatibus, sive menstruam, sive hebdomadalem, etiamque quotidianam pro animabus perfectionis in via proficientibus per virtutum et mortificationis praxim, iuxta proprii Confessarii iudicium, qui instructiones a S. Concilii Congregatione datas et ab Innocentio XI probatas anno 1679, servare debent.

607. Sed Parochi praesertim ob oculos habeant arcitissimam, quae ipsis incumbit obligationem infirmis

mortis in periculo constitutis Sanctissimam Eucharistiam ut Viaticum administrandi; in gravem enim reatum inciderent, si, negligentia sua, aliquis absque huius divini salutarisque auxilii perceptione e vita migraret.

608. Nec quidem poenae capitalis reos a tanti Sacramenti perceptione excludant, quibus, alias congruenter dispositis, Communio praebetur.

609. Hortetur Parochus infirmum ut Sacram Communionem sumat, etiamsi graviter non aegrotet aut mortis periculum non immineat, maxime si festi alicuius celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare renuat.

§ II.

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA UT EST SACRIFICIUM.

608. Omnes meminerint quia nullus est Religionis actus excelsior, nec Deo nostro gratior quam Sanctissimum Missae Sacrificium; in eo enim D. N. Iesus Christus, Deus et Homo verus, Redemptionis opus constanter renovat, cum semetipsum incruente per Sacerdotum ministerium offerat. Hocce novae legis Sacrificium, solum quidem est, quod Deo cultum infinita eius gloria et maiestate dignum dare possit, per quod etiam gratiae innumerae atque auxilia impetrantur, et divinae iustitiae pro vivorum et mortuorum poenis et peccatis satisfactio debita exhibetur. Cum enim adeo imponderabilis huius divini Sacrificii sit excellentia, ut eam humana mens metiri nequeat, plane infertur nullam creaturam humanam aut angelicam, nisi Dei Filium cum dignitate sibi merenti illud tractare posse.

611. Sacerdotes quotidie mente recogitent altissimum quod implent officium, dum Sanctum Missae Sacrificium celebrant, et quanta puritate et sanctitate exornatos esse oporteat, ut digni Christi vices gerentes sint et dispensatores Mysteriorum Dei: et hac de causa in primis divinae gratiae impedimentum tollant et conscientiae puritate et congruenti praeparatione ad Missae celebrationem procedant, magno cum devotionis affectu interioris ac exterioris, cum modestia, pausa et gravitate, prout Christi repraesentantes decet.

612. In celebratione Missae ritus omnes ac caeremoniae servantur a Sancta Romana Ecclesia praescriptae vel in rubricis Missalis, vel in Sacrae Rituum Congregationis decretis, quae ut oracula Pontificia habenda atque observanda sunt.

613. Nullus Sacerdos plusquam unam quotidie Missam celebret, praeterquam in festo Nativitatis D. N. Iesu Christi, et in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, qua in die in America Latina, ex Apostolica concessione, pro defunctis tres Missae celebrari queunt.

614. Sed his diebus exceptis, Sacerdotes unam tantum Missam celebrare possunt. Quoad binationem, diebus festis aliquoties licitam, standum est mandatis Ordinariorum, tenori indultorum et decretis S. Sedis.

615. Sed quolibet in casu omnes Missae naturali in ieiunio celebrandae sunt.

616. Iuxta Sancti Concilii Tridentini decretum, omnes Parochos, Cappellanos, Ecclesiarum Rectores, sacrorum custodes, aliosque, quibus competat, Superiores iubemus, ut nullum clericum vel incognitum celebrare aut sacrum ministerium exercere permittant, nisi de Ordinarii licentia, qui eam minime concedat, nisi intuitu testimonia-

lium litterarum, quibus constet talem sacerdotem nulla censura esse irretitum.

617. Ut praecepti auditionis Missae adimpletio fidelibus expediatur, diebus festivis, non simul, sed successive, congruenti cum intervallo inter unam et alteram, Missae celebrentur, ut in Domo Dei perturbationes ac tumulti vitentur ab ingredientibus iunctim et egredientibus.

618. Quoad stipendia Missarum, fidelissime servantur decreta S. Sedis, praesertim novissima; et ad memoriam revocent sacerdotes poenas canonicas contra violatores eorundem decretorum.

CAPUT IV.

De Poenitentiae Sacramento.

619. Sacramentalis Poenitentia, pro peccatis post Baptismum commissis, cum Deo reconciliatio est, et hinc a SS. Patribus secunda post naufragium salvationis tabula scite appellatur. Verum ac proprie dictum novae legis Sacramentum est, a D. N. Iesu Christo institutum, quando, scilicet, post eius resurrectionem suis Apostolis et, in illis, eorum successoribus in Sacerdotio, ait: « Quorum remiseritis peccata remittuntur eis ». Actus poenitentis, contritio nempe, confessio atque satisfactio quasi materia huius Sacramenti sunt; forma autem sunt verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti*, a Sacerdote, debita iurisdictione pollente, ut Ministro Sacramenti, prolata. ®

§ I.

DE DISPOSITIONIBUS AD POENITENTIAM NECESSARIIS.

620. Ut fructuosa huius Sacramenti sit receptio, attente ac diligenter conscientiam examinare opus est, omniaque eius abscondita scrutari, ut in memoriam revocemus, in amaritudine animae, omnia cogitationis, verbi, operis et omissionis peccata, quibus Deum offendimus.

621. Postea Sacerdoti omnia peccata patefacienda sunt, cum omnibus suis adiunctis speciem mutantibus, ingenua et humili confessione, intimo cum dolore et detestatione delictorum, et cum firmo proposito nunquam in posterum peccandi; ac denique satisfactionem, quae iniungatur, humiliter acceptando.

622. Poenitens sic dispositus, absolutionem sacramentalem accipiens, simul cum illa, suorum peccatorum remissionem (vel augmentum gratiae, si peccata iam fuerunt remissa) accipiet et gratiam sanctificantem, quae eum de inimico in amicum et Dei filium convertit.

§ II.

DE POENITENTIAE MINISTRO.

623. Confessarius in primis ob oculos habeat eum in Poenitentiae Sacramento Patris praesertim, Iudicis Medici, atque Magistri vices gerere, et inter Deum et miseros peccatores mediatorem esse; sicque honoris divini iura cum misericordiae benignitate pro animarum salute prudenter sociare debet. Statim equidem videtur, quanta scientia, prudentia, discretione, zelo, caritate atque bonitate Sacerdotes referti esse debeant ad di-

gnam huius Sacramenti administrationem, in qua discernere inter lepram et lepram opus est; sese de causa, quam iudicare debent, informare; plagis atque peccatorum vulneribus absque eorum exacerbatione mederi; ignaros erudire; infirmos et exanimes erigere et fortificare; ac denique, ad conciliandam sibi omnium benevolentiam, visceribus paterni amoris omnes tractare.

624. Ut peccatorum absolutio valide fiat, potestas in Presbyteratu accepta non sufficit, sed iurisdictio, ab Episcopo communicata, necessaria est. Nullus igitur Sacerdos, absque approbatione et licentia praedictis absolvere praesumat; si autem haberet, in terminis quibus ei concessa fuit, ea uti debet; et etiamsi Confessarius ab Episcopo suo approbatus fuerit, suum ministerium aliena in Dioecesi exercere non potest absque Ordinarii licentia illius loci, in quo confessio auditur.

625. Confessiones in Ecclesia et in confessionali munito cratibus levi velo obductis, audiantur, ita tamen ut visum impediat, non auditionem, et illud in aperto loco esse oportet.

626. Mulierum confessiones non audiantur nisi in confessionali, et in die, id est, Ecclesia naturali luceclare illuminata; praeterquam in infirmitate, qua ipsae confessionale adire impediuntur.

627. Virorum tamen confessiones etiam extra confessionale audiri possunt, seu in sacrario vel in alio loco honesto et convenienti.

628. Sacerdotem in confessionali superpellicem induere et violaceam stolam conveniens est; tum quia Sacramentum administrat, tum propter decorem et loci reverentiam.

629. Confessarius suum officium prout decet non implet, si tantum in peccatis audiendis contentus sit,

et protinus absolvat. Ut dignus sanguinis Christi dispensator sit, poenitentis dispositiones inquirat; peccatorum, quae necessario exponendae sunt, circumstantias prudenter investiget; prudenter poenitentem erudire, hortari, exprobare, monere, ad contritionem et emendationis propositum incitare curet; ac denique, salutarem et congruentem satisfactionem ei discrete imponat, iuxta peccatorum circumstantias ac gravitatem, et ipsius poenitentis dispositionem: curet etiam ut satisfactio non tantum medicinalis sit et reincidentiae praeservativa, sed etiam pro praeteritis peccatis vindicativa.

630. Sed Confessarius e regione opposita a suo officio deficiet, longius in confessione progrediendo, quaesitis et collocutionibus superfluis, inutilibus, et fortasse perniciosis.

631. Hic etiam animadvertimus, nunquam licere, nec directe, nec indirecte complicitis nomen quaerere; haec enim praxis prohibita severissime atque a Constitutionibus Apostolicis est reprobata; qui vero eam ut licitam doceat et propugnet, in excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici reservatam incurrit¹.

§ III.

DE CASUM RESERVATIONE.

632. Haec Provincialis Synodus attente considerans SS^mum Dominum N. Pium IX magna prudentia et sapientia antiquas censuras, sua Constitutione *Apostolicae Sedis* opportune reduxisse; nihil statuere censuit hac in re, nisi solum enixe excitare omnes sacerdotes, ut prae oculis semper habeant praedictam Constitutio-

¹ Pius IX, Const. *Apostolicae Sedis*.

nem, necnon suas proprias licentias ad ministerium exercendum et facultates illis concessas et transmissas ab Ordinariis in documento *Carta de gracia* vulgo nuncupato.

633. De caetero omnes censurae quae nullo modo sint expressae in laudata Constitutione, considerantur ut derogatae.

634. Quoad casus sine censura, Episcopo negotium relinquitur, ut in sua Dioecesi eos reservet quos in sua prudentia cognoverit magis expedire in Domino.

635. Hoc denique Provinciale Concilium Episcopos hortatur ut in litteris quibus sacerdotibus ad munus Confessarii adimplendum facultas conceditur ad absolvendum a reservatis, exprimantur casus Papales, quorum absolutio tantum peragitur ex auctoritate Apostolica, Episcopis delegata, ut Confessarii distinguant qua facultate praediti sint, sive delegata sive subdelegata.

CAPUT V.

De Extrema Unctione.

636. Extremae Unctionis Sacramentum a D. N. Iesu Christo institutum est, atque a S. Iacobo Apostolo promulgatum¹ his verbis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit remittentur ei.* Quibus verbis, ut S. Concilium Tridentinum docet², omnia quae Sacramentum essentialiter constituunt, scilicet, materia eius, forma,

¹ Cap. 5.

² Sess. XIV, cap. 1, de Extr. Unct.

subiectum, Minister atque effectus, exprimuntur. Hoc vero Sacramentum, iuxta ipsum Concilium, non solum Poenitentiae, sed totius christiane vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum est. Hinc tantae salutis Sacramentum despici nequit, quin nefandum in scelus incurratur, et Spiritui Sancto iniuria inferatur.

§ I.

DE EXTREMAE UNCTIONIS MATERIA ET FORMA.

637. Huius Sacramenti materia est oleum ab Episcopo intra annum benedictum iuxta Rituale Romanum.

638. Sed si currente anno oleum sit deficiens, et benedictum haberi non possit, non benedictum benedicto miscere licet, in minore tamen quantitate, et sic unctiones fiant.

639. Materia quinque sensuum organis applicari debet iuxta Rituale Romanum.

640. Forma, quae deprecativa esse debet (*orent super eum*), haec est: *Per istam Sanctam Unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum etc. deliquisti. Amen*; nomen sensus cui applicatur simul exprimendo, et denique, in sensibus quorum duplicia sunt membra, curando ne forma concludatur antequam utraque membra iniungantur.

§ II.

DE EXTREMAE UNCTIONIS EFFECTIBUS AC DE SUBIECTO
EAM ACCIPIENTE.

641. Huius Sacramenti effectus sunt: tanquam Poenitentiae consummativum, Spiritus Sancti gratiam producere, ad peccatorum maculas purgandas, si ullae

purgandae remanent, earumque reliquias abstergendas; alleviare animam et fortificare, ut infirmitatis labores subire, insidiis et tentationibus ultimo in vitae certamine resistere valeat; et, si animae saluti decet, salutem etiam corporalem restituere.

642. Extremae Unctionis subiectum omnis fidelis est, qui cum ad rationis usum venerit, tam graviter infirmatur, ut in mortis periculo esse videatur; sed manente eodem periculo Sacramentum non potest iterum administrari. Subiecti igitur apti Extremae Unctionis non sunt ii, qui mortis pericula subeunt, sed non sunt tamen infirmi, scilicet: qui in praelium ingressuri sunt, navigantes, aut qui poena capitali sunt plectendi; nec pueris rationis usu non pollentibus ministretur, quoniam peccati capaces non sunt.

643. Infirmis qui, cum in statu rationis essent, Sacramentum hoc petierunt, aut verisimiliter id petiisse praesumitur, seu contritionis signa praebuerint, Extrema Unctio administratur, etiamsi loquendi facultatem, aut sensus, aut rationis usum amiserint.

§ III.

DE EXTREMAE UNCTIONIS MINISTRO.

644. Minister necessarius huius Sacramenti, ad valorem, tantum est Presbyter; et quamvis in genere ut licite id ministret, licentiam Parochi obtinere opus sit, in hac tamen Provincia nostra adest consuetudo ut sacerdotes quilibet approbati Extremam Unctionem administrare possint sine licentia Parochi, et haec Synodus huic consuetudini assentit.

645. Religiosus vero Sacerdos alicuius Regularis Ordinis, qui absque necessitate, sine licentia Parochi

Extremam Unctionem seu Sacrum Viaticum ministrare praesumeret, in excommunicationem *latae sententiae* Romano Pontifici reservatam, incurreret ¹.

646. Sacerdos, qui Sacram Unctionem administrat, ipse, seu clericus in sacris constitutus, Sanctum Oleum, in vasculo seu parva ampulla argentea seu stannea, deferre debet, quae ampulla talis sit capacitatis, ut in ea pollex intingi possit, quo unctiones fiant, non autem alio instrumento, nisi infirmitatis contagium metuatur.

647. Quamvis tantum periculose aegrotantes inungi possint, tamen Parochis et Sacerdotibus, ad quos spectat, animadvertendum est, peccare eos, qui renuunt vel negligunt infirmum ungere, nisi cum, iam omni spe salutis amissa, vita et sensibus carere incipiat.

CAPUT VI.

De Ordinis Sacramento.

648. Sacrificium et Sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit, naturali, scilicet, et scripta; et in lege evangelica, ubi longe perfectius est Tabernaculum, hoc ipsum necessum fuit. Dominus itaque N. Iesus Christus, Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, in qua nocte tradebatur, Sacrificium Eucharisticum sui ipsius Corporis et Sanguinis instituens et tradens Apostolis suis, potestatem contulit, ut hoc idem facerent, et ita constituit eos novi foederis Sacerdotes. Hoc igitur Sacerdotium ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi

¹ Const. Apostolicae Sedis.

et ministrandi Corpus et Sanguinem eius, necnon et peccata dimittendi, et Sacrae Litterae ostendunt, et Catholicae Ecclesiae traditio semper docuit. Ideoque latissime patet Ordinem sive Sacram Ordinationem, ut vere et proprie Sacramentum unum ex septem Novae Legis rite numerandum esse; illud enim divinitus institutum, sub verbis et signis confert gratiam, una cum caractere indelebili, ordinato tribuens potestatem ad conficienda Sacramenta et ministranda, aliaque munia in Ecclesia obeunda.

§ I.

DE ORDINATIONIS MINISTRO.

649. Episcopi, tanquam Apostolorum Successores, Ordines conferre possunt; illis enim Dominus N. Iesus Christus, loquens de Regno Dei, proculdubio supremam potestatem contulit consecrandi, ordinandi et constituendi alios sive Episcopos, sive Presbyteros, vel Diaconos et caeteros inferioris ordinis, qui, velut castrorum acies ordinata, Sanctae Ecclesiae deserviant.

650. Episcopis igitur ius et munus est, ne, ut Apostolus praecipit, nemini cito manus imponant, diligenter inquirere Ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem aliasque dotes, quae et dignos efficiant in adeo celsam sortem evehendo, et ad sacra ministeria ad quae assumuntur, sancte exercenda.

651. Quapropter nullus ad maiores vel minores ordines admittatur, nec ei, ut admitti possit licentia concedatur, nisi prius, periculo facto, his esse praeditum qualitatibus constiterit, quae ad illum gradum, vel Ordinem, ex Concilii Tridentini decretis, requisitae sunt.

§ II.

DE QUALITATIBUS AD ORDINES SUSCIPIENDOS REQUISITIS.

652. Quoniam illi, qui militiae clericali adsciscuntur, magno honore super plebem adaugentur, tanto praestantiore, quanto coelestia terrestribus praeeminent, ac nemo, ut inquit Div. Paulus, tantum honorem sibi assumat, sed qui vocatur a Deo; in primis igitur divina vocatio eorum, qui Ordinibus insigniri postulant, scrutetur oportet, quae quidem dignosci potest in Seminariis ecclesiasticis, ad hoc institutis, ut, sub vigilantia praeceptorum, aliorumque superiorum, alumnorum vita, educatio, proclivitas ad bonum, aliaque indicia, quibus quantum fas est humanae prudentiae, utrum Deus vocet, dignosci possit, detegantur.

653. Eos vero, qui ad Ordines assumuntur, in hac praesertim nostra tempestate, ampla scientia pollere oportet; quippe qui ut, boni Christi milites, ad profliganda sophismata hostium quotidie insurgentium et omnem ordinem supernaturalem despiciere et prorsus evertere conantium, ad huiusmodi bellum docti et fortes esse tenentur. Ad ordines itaque adspirantes, praeter scientiam necessariam ad cuiusque Ordinis officia rite exequenda, et maxime in presbyteratu constituendi, habere debent sufficientem idoneitatem ad docendum populum ea quae sunt ad salutem necessaria et ad ministranda Sacramenta, ideoque in Sacris Litteris, Theologicis Disciplinis, Apologetica Scientia et Arte Oratoria sacrarum concionum, sedulo probentur.

654. Ad Subdiaconatum promovendi in cantu ecclesiastico periti sint et in recitando horarum canonicarum Officio, iuxta ordinem Breviarii Romani, exercitati.

655. Nullus canonico impedimento innodatus, ad clericalem tonsuram, vel ad Ordines admittatur; ac, si de Sacris Ordinibus agatur, ut plenius cognosci possit, praeter inquisitionem ab Episcopo factam, publicae denuntiationes fiant in Ecclesiis Parochialibus, ubi saltem per annum post pubertatem postulans moratus fuerit; et praeterea Parochi, testibus probatis et fidedignis adhibitis, de ipsius Ordinandi natalibus, aetate, vita et moribus, diligenter inquirant, et testimoniales litteras praedictam inquisitionem continentes, ad ipsum Episcopum transmittant.

656. Ad Ordines vero Sacros nemo ascendat, nisi aliquo titulo canonico vere munitus sit: illi etiam qui titulo patrimonii ordinantur, alicui Ecclesiae vel pio loco adscribantur, ubi suis fungantur muneribus, nec incertis vagentur sedibus.

657. Qui in Sacro Presbyteratus Ordine rite iam constituti sunt, primam Missam non audeant celebrare, nisi prius a Superiore Seminarii, vel ab alio ab eo deputato, in ritibus et caeremoniis et aliis in celebratione observandis, examinati, approbationem obtineant; et etiam ea obtenta, tribus primis vicibus, sacrum non faciant, nisi alio Sacerdote sibi assistente.

CAPUT VII.

De Matrimonii Sacramento.

658. Quum in ipso mundi exordio a Creatore Matrimonium institutum fuisset adhuc in statu innocentiae, ut officium naturae ad propagandum et conservandum genus humanum, ideoque ut fundamentum et originem omnis familiae et proinde societatis humanae, confiteri necesse sit: quumque illud ipsum Matrimonium, quod

malitia hominum a sua primaeva institutione deflexerat, Dominus Iesus Christus, humani generis Reparator, ad dignitatem Sacramenti Novae Legis, evexerit; Matrimonium ut inquit Tridentinum Concilium, sancta res est, sancteque tractandum: quapropter sola Ecclesia, divina potestate ab ipso Christo Domino sibi donata, idem tractare ac dirigere, et impedimenta etiam illud dirimentia, constituere potest.

§ I.

DE UNITATE SACRAMENTI MATRIMONII.

659. Cum Matrimonium faciat consensus contrahentium, id est, contractus viri et mulieris, quo invicem corpora traduntur et acceptantur ad generationem proles, idem contractus est materia Sacramenti inter eos qui sunt Sacramentorum capaces; ideoque inter baptizatos minime disiungi potest ratio coniugalis contractus a ratione Sacramenti, cum unum tantum sit Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evectum.

660. Adversus hanc veram et catholicam doctrinam, etiam pontificio oraculo obfirmatam, exitialis error surrexit, qui unicum christianum Matrimonium discernens, saeculari potestati contractum nuptialem tradit, et Ecclesiae Sacramentum tantum tribuere praetendit; a quo errore maxime abhorremus, et mandamus ut Parochi et alii Sacerdotes populum christianum catholicam doctrinam hac de re frequenter doceant.

§ II.

DE CLANDESTINIS CONIUGIIS.

661. Tametsi clandestina Matrimonia libero contrahentium consensu facta, vera et rata fuerint Matrimonia, quandiu ea Ecclesia irrita non fecit, Sacrosancta Tridentina Synodus, gravissimis causis innixa, ea in posterum annullavit irritaque fecit, ac formam, qua Matrimonia legitima evadant, praescripsit, videlicet; quod Matrimonio praesente proprio Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, contrahatur: qui autem aliter quam hac servata forma, Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decrevit.

662. Exinde porro liquet contractum nuptialem, *Matrimonium Civile* vocatum, ante quamcumque auctoritatem civilem initum, funditus ruere prorsusque nullum esse: et quidem ex declaratione SS. D. N. Leonis XIII, neque ut sponsalia haberi potest, ita ut nullum ex illo impedimentum iustitiae publicae honestatis surgere valeat, quamvis iuxta decretum S. Tridentinae Synodi, ex Matrimonio rato et ex validis sponsalibus certe oriatur.

663. Actum itaque hunc civilem, vulgo *Matrimonium* nuncupatum, tantum agere, gravissimum peccatum est, quia turpe est ac detestabile contubernium, semper execratum, et Ecclesia dumtaxat illud tolerat ut effectus iurium civilium non impediatur.

664. Qui talia sic dicta Matrimonia civilia tantum inierint, a participatione Sacramentorum privati sint, in

vita et in hora mortis, si in facie Ecclesiae contrahere renuerint vel a complice separari. Et, si e vita ceserint in peccato suo, etiam ecclesiastica sepultura priuentur.

665. Filii ex solo matrimonio civili habiti, tanquam illegitimi ad omnes canonicos effectus habentur et sunt.

ALERE FLAMMAM § III.

DE PAROCHO QUI AD VALIDITATEM MATRIMONII
ADESSE DEBEAT.

666. Parochus, qui rite Matrimonio assistat, debet proprius contrahentium esse, id est, Parochiae ubi uterque domicilium vel quasi domicilium habent. Si, ut frequenter accidit, contrahentes ad diversas Parochias pertineant, tunc alterutrius Parochus indifferenter, sive viri, sive mulieris, ad Matrimonium procedere potest, tanquam proprius.

667. Si quis autem, licet Parochus, vel alius Sacerdos, saecularis vel regularis, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiae sponso, sine illorum Parochi licentia, Matrimonio coniungere aut benedicere audeat, decreto Sancti Concilii Tridentini[†] ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.

[†] Sess. XXIV, cap. 1, de reform. Matrim.

§ IV.

DE INQUISITIONE MATRIMONIALI AC DENUNTIATIONIBUS
FACIENDIS.

668. Parochus ante Matrimonium diligenter inquireat aptitudinem sponsorum de iure requisitam ad contrahendum, tum per declarationem iuratum ipsorum sponsorum, cum per tres testes fidedignos similiter sub iuramento interrogatos, scilicet, de origine, domicilio et de singulis impedimentis sive dirimentibus sive impediensibus Matrimonium. Quod si illos, ex praefacta inquisitione, aliquo impedimento, modo dispensabile sit, innodatos inueniat, eam Episcopo transmittat, una cum postulato, veris causis patefactis, ad impetrandam dispensationem. In hac vero inquisitione meminisse oportet quod Indi, ex privilegio, Matrimonium contrahere possunt, sine dispensatione, intra tertium et quartum gradum consanguinitatis vel affinitatis licitae.

669. Nemo ad secundas nuptias admittatur, nisi authenticum testimonium exhibeatur, vel, eo deficiente, testium, quoad fieri potest, oculatorum, iurata depositio habeatur, de morte anterioris coniugis.

670. Cum advenis sive exterae nationis, sive alterius Dioecesis, sive errantibus, multa solertia etiam adhibeatur ad inquirendum eorum liberum statum ad ineundum coniugium quod petunt; et Parochus semper Ordinarium certiore faciat de illorum petitione, et sine ipsius Ordinarii expressa licentia ad Matrimonium non admittantur.

671. Facta autem praedicta informatione, si sponsi liberi et apti inveniuntur, vel in casu impedimenti obtenta ab Episcopo dispensatione, denuntiationes publi-

caae a Sancto Concilio Tridentino praescriptae fiant cuiuslibet Matrimonii, tribus continuis diebus festis, inter Missarum solemnias, in Ecclesiis Parochialibus, ubi sponsi domicilium vel quasi domicilium habuerint, quamvis in eorum actuali residentia per multum tempus degerint; nisi Ordinarius, potestate sibi ab ipso Tridentino tributa, dispenset, ex legitima causa, in toto vel in parte, praefatas denuntiationes, prout sibi in Domino bene placuerit, Parochus autem taliter dispensandi facultate minime gaudet.

§ V.

DE DISPOSITIONIBUS MATRIMONIUM CONTRAHENTIUM,
AC DE BENEDICTIONE NUPTIALI.

672. Cum christiani Matrimonii munus sit non tantum filios procreare, sed praecipue eos ad vitam aeternam pia et religiosa educatione dirigere, rite instructi sint sponsi saltem in iis quae ad salutem scitu sunt necessaria. Parochus itaque illos qui Matrimonio iungendi sunt de huiusmodi obligatione praemoneat, prudenterque examinet, si, pro eorum captu, sciant, sicut tradit et praecipit Concilium Mexicanum III, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Fidei Articulos, Praecepta Decalogi, Praecepta Ecclesiae, Septem Sacramenta, ac septem vitia capitalia: quod si prorsus ignorent etiam ea quae necessitate medii credenda sunt, ad Matrimonium non admittantur, quoadusque eadem didicerint.

673. Cum Matrimonium Sacramentum vivorum sit, illud contrahentes gratia sanctificante praediti sint; ideoque Parochus eos moneat et curet, ut, antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, ac sacra

Communione reficiantur; et sic ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant.

674. Matrimonium in Ecclesia, praesertim Parochiali, maxime decet celebrari, et peracto rite Sacramento, si tempus vel alia causa non obstet, illico benedictio nuptialis, prout habetur in Missali Romano, peragatur: quam benedictionem ipse proprius Parochus aut alius Sacerdos, de eiusdem Parochi, vel Ordinarii licentia, coniugibus impertiatur; qui vero eam peragat absque tali licentia, suspensionem a Tridentina Synodo latam, non effugiet.

675. Caveat Parochus ne Matrimonium mulieris viduae benedicat, si iam in primis nuptiis benedictionem acceperit, etiamsi vir nullum antea inierit connubium; bene vero, e contra, si mulier numquam alicui nupserit, quamquam vir aliam uxorem duxerit, possunt ambo nuptialem benedictionem accipere, ut fert immemorabilis consuetudo in hac Provincia, quae iuxta Rituale Romanum servanda est.

676. Verumtamen quaelibet benedictiones nuptiales prohibentur temporibus ab Ecclesia interdictis, videlicet, a Dominica prima Adventus usque ad Epiphaniam, et a Feria IV Cinerum usque ad Octavam Paschae, id est, Dominicam in Albis. Idcirco, qui, iustis de causis, dictis temporibus Matrimonium rite contraxerint, non benedicantur.

677. Sed Indi, ex Apostolico privilegio, tempore vetito, nuptialem benedictionem recipere possunt. ®

CAPUT VIII.

De Sacramentalibus.

678. Sancta Ecclesia septem Sacramentis donata, quibus interiori sanctitatem animarum mirifice uberimeque obtinet, per gratiam et caritatem ex illis manantem, etiam circumamicta varietate donorum et virtutum incedit, quibus filii eius ad progressum in gratia et sanctitate novis ducuntur auxiliis. Exinde plures preces, orationes, actiones, et caeremoniae institutae sunt, quae quamdam speciem aut formam Sacramentorum induunt, et ideo Sacramentalia vocantur. — Tum vero circa naturam et numerum Sacramentalium, tum circa eorum usum et applicationem, Synodus haec prae oculis haberi sequentia mandat.

§ I.

DE NATURA ET NUMERO SACRAMENTALIUM.

679. Sacramenta et Sacramentalia longe diversa sunt: Sacramenta ex Christi institutione per se gratiam unicuique propriam, ubi obex non ponitur, operantur; Sacramentalia autem non ex se, sed ex opere operantis pios motus excitant, sive detestationis peccatorum, sive caritatis et reverentiae ad Deum et res divinas. Verumtamen quamdam spiritualem virtutem rebus ex institutione et orationibus Ecclesiae benedictis inesse, recognoscere et confiteri necesse est, quae, benedictione accepta, in veneratione religiosa habentur, et ab aliis rebus communibus et profanis secernuntur.

680. Plures sunt caeremoniae, preces, benedictiones aliaeque res ab Ecclesia institutae ad excitandam

pietatem, devotionem et omnium virtutum actus, ideoque plura sunt Sacramentalia.

681. Quia vero non instituti nostri est omnium elencum Sacramentalium texere, praecipua tantum referre volumus, et haec sunt: Oratio Dominica, Benedictio et usus Aquae Lustralis, esus Panis aliorumque Esculentorum pariter Benedictorum, Confessio Generalis, id est, illa quae in Missa et in Officio Divino recitatur, Pectoris Tunsio, Benedictio Episcopalis et omnes benedictiones sive personarum, sive rerum, rite peractae.

§ II.

DE SACRAMENTALIUM USU ET APPLICATIONE.

682. Sedulo fideles moneantur Sacramentalia praedicta, ab Ecclesiae institutione, ad profectum spiritualement dicata, sanctificata et benedicta, magnam vim habere, et uberes fructus non tantum ad animae salutem, sed etiam aliquoties temporales per illa recipi posse, modo iidem fideles spiritu fidei, devotionis et pietatis illis utantur; verum e contra si ea adhibeantur ad superstitiosa, inhonesta, vana et ridicula, magnum esse peccatum, utpote Deum cogitationam iniquarum fieri participem intenditur.

683. Quoad vero usum et applicationem quarundam benedictionum, nonnulla veniunt notanda et implenda, scilicet:

a) Nulla benedictionis formula adhiberi debet quae non sit a Sancta Sede per Sac. Rit. Congreg. approbata.

b) Inter huiusmodi benedictiones, aliae sunt Episcopis reservatae, aliae Parochis, quaedam aliquibus Ordinibus Regularibus concessae, caeteraeque omnes

a cunctis indiscriminatim sacerdotibus peragi possunt. Videat igitur ac sedulo attendat unusquisque Sacerdos, quae rerum benedictiones ad ipsum pertineant, ne aliena munera temere aut imperite unquam usurpet propria auctoritate.

c) Nullatenus benedicatur puerpera, quae extra Matrimonium legitimum in facie Ecclesiae initum suscepit prolem.

d) Usus aquae lustralis vel a primordiis Ecclesiae ortus, et pene in omnibus benedictionibus adhibitum, haec Synodus cunctis fidelibus commendat, ut ea devote et pie utantur, sive in ingressu Ecclesiae, aut etiam in privatis domibus. Quapropter in omnibus Ecclesiis prope ianuas habeantur receptacula iugiter praedictam aquam continentia, quae renovabitur et benedicetur quoties opus fuerit.

e) Exorcizare obsessos a daemone non licet nisi, delata re ad Episcopum, et mature perpensa, ipse licentiam concedat; et ea obtenta, sacerdos, antequam ad exorcismum deveniat, sedulo attendat instructiones in Rituali Romano praescriptas, ut eas observet, et tunc ad exorcizandum obsessum pergat. Illum vero alium exorcismum adversus angelos apostaticos a S. S. Leone XIII probatum, et commendatum, et etiam indulgentiis auctum, haec item Synodus, omnibus sacerdotibus enixe commendat, et hortatur quam frequentissime recitare.

SECTIO III.

DE CULTU DIVINO

684. Etsi Deus, qui a se atque in se ac per se absolute perfectus est, sive creaturis sive laudibus ab eis oblatis nulla ex parte indigeat, vult tamen, ut, quos ad sui imaginem liberrima benignitate creavit, naturae et gratiae ipsis datae conformiter agant, et proinde Summo summum honorem deferant. Internum igitur, externum et publicum Deo cultum exhibentes, persolvimus tributum et gratiae nobis collatae et naturae rationali proprium, et Eum, per quem sunt omnia, coram omnibus, iustissimo humilitatis obsequio profite-mur. — Sed quia patriae cultum Deo tribuimus, eidem etiam in Sanctis eius cultum tribuere debemus, quia, dum velut Ecclesiae Triumphantis membra cum Christo Capite regnant, Ecclesiae Militanti deprecatores et intercessores dati sunt, hac tamen distinctione facta inter cultum B. V. M. et cultum Sanctis tributum, quod pri-mus *hyperduliae*, et secundus *duliae cultus* dicatur.

685. Haec mente Concilium hoc Provinciale recolens, quae circa divinum cultum discernere cogitat, Sectionis huiusce per decem Titulos sequentes, distribuet, scilicet: Titulus I: De cultu generatim sumpto. — Titulus II: De Missae Sacrificio. — Titulus III: De cultu SS. Eucharistiae. — Titulus IV: De SS. Corde Iesu. — Titulus V: De cultu B. V. Mariae et caeteris Sanctis debito. — Titulus VI: De Sacris Reliquiis et Imaginibus. — Titulus VII: De Templis et Oratoriis. — Ti-

a cunctis indiscriminatum sacerdotibus peragi possunt. Videat igitur ac sedulo attendat unusquisque Sacerdos, quae rerum benedictiones ad ipsum pertineant, ne aliena munera temere aut imperite unquam usurpet propria auctoritate.

c) Nullatenus benedicatur puerpera, quae extra Matrimonium legitimum in facie Ecclesiae initum suscepit prolem.

d) Usus aquae lustralis vel a primordiis Ecclesiae ortus, et pene in omnibus benedictionibus adhibitum, haec Synodus cunctis fidelibus commendat, ut ea devote et pie utantur, sive in ingressu Ecclesiae, aut etiam in privatis domibus. Quapropter in omnibus Ecclesiis prope ianuas habeantur receptacula iugiter praedictam aquam continentia, quae renovabitur et benedicetur quoties opus fuerit.

e) Exorcizare obsessos a daemone non licet nisi, delata re ad Episcopum, et mature perpensa, ipse licentiam concedat; et ea obtenta, sacerdos, antequam ad exorcismum deveniat, sedulo attendat instructiones in Rituali Romano praescriptas, ut eas observet, et tunc ad exorcizandum obsessum pergat. Illum vero alium exorcismum adversus angelos apostaticos a S. S. Leone XIII probatum, et commendatum, et etiam indulgentiis auctum, haec item Synodus, omnibus sacerdotibus enixe commendat, et hortatur quam frequentissime recitare.

SECTIO III.

DE CULTU DIVINO

684. Etsi Deus, qui a se atque in se ac per se absolute perfectus est, sive creaturis sive laudibus ab eis oblatis nulla ex parte indigeat, vult tamen, ut, quos ad sui imaginem liberrima benignitate creavit, naturae et gratiae ipsis datae conformiter agant, et proinde Summo summum honorem deferant. Internum igitur, externum et publicum Deo cultum exhibentes, persolvimus tributum et gratiae nobis collatae et naturae rationali proprium, et Eum, per quem sunt omnia, coram omnibus, iustissimo humilitatis obsequio profite-mur. — Sed quia patriae cultum Deo tribuimus, eidem etiam in Sanctis eius cultum tribuere debemus, quia, dum velut Ecclesiae Triumphantis membra cum Christo Capite regnant, Ecclesiae Militanti deprecatores et intercessores dati sunt, hac tamen distinctione facta inter cultum B. V. M. et cultum Sanctis tributum, quod pri-mus *hyperduliae*, et secundus *duliae cultus* dicatur.

685. Haec mente Concilium hoc Provinciale recolens, quae circa divinum cultum discernere cogitat, Sectionis huiusce per decem Titulos sequentes, distribuet, scilicet: Titulus I: De cultu generatim sumpto. — Titulus II: De Missae Sacrificio. — Titulus III: De cultu SS. Eucharistiae. — Titulus IV: De SS. Corde Iesu. — Titulus V: De cultu B. V. Mariae et caeteris Sanctis debito. — Titulus VI: De Sacris Reliquiis et Imaginibus. — Titulus VII: De Templis et Oratoriis. — Ti-

- tulus VIII: De Cantu Ecclesiastico et Musica Sacra.
 - Titulus IX: De Sacra et Ecclesiastica suppellectili.
 - Titulus X: De Ecclesiarum officialibus.

TITULUS I.

DE CULTU GENERATIM SUMPTO

686. Parochi omni diligentia populum de cultu opportune instruant, eumque a superstitione avertant.

687. Nec nova aut insolita cultus exercitia, aut pietatis opera introducantur, inconsulto Episcopo; nec imprudenter multiplicentur.

688. Maxima, quam possint, prudentia Parochi indesinenter laborent, pro eliminanda abominabili praxi, quam quidam populi sustinent, simul cum festis religiosis, seu quod peius est, sub praetextu festi religiosi, festa quaedam profana celebrandi, quae perniciēs animarum et dedecus Religionis sunt.

689. Religioni et pietati opponitur spectacula profana aut similia promovere, ad facultates pecuniarias obtinendas, quibus cultus foveri queat.

690. Sacerdotii decori absolute opponitur et dignitati, ut laici, cuiuscumque conditionis sint, posthabita auctoritate Parochi vel Rectoris Ecclesiae, sibi arrogant facultatem, per se ipsos interveniendi in celebratione solemnitatum, quae in ecclesiis habentur, ita ut isti soli sint qui eleemosynas colligant, illas suo arbitrio distribuunt, clericos invitent, stipendia solvant et alia huiusmodi. Ad hos aliosque abusus corrigendos, Synodus decernit: quod nonnisi de licentia, sub vigilantia et au-

toritate Rectorum Ecclesiarum, supradicti laici in functionibus sacris celebrandis, interventum habeant. Vitetur tamen extremum inurbane se gerendi cum laicis, qui, bona voluntate, cultui divino fovendo cooperari cupiunt.

691. In decorandis templis, ratione alicuius solemnitatis, maxime commendatur ut nihil profanum, nihil vulgare, nihil ridiculum, aut decori domus Dei contrarium, adhibeatur; sed ita decoramen disponatur, ut aptissimum sit mentibus fidelium erigendis ad rerum divinarum contemplationem.

692. Prohibetur omnino ne quis Sacerdos, vel nimia indulgentia, vel turpis lucri gratia, communem rusticorum indigenarum plebisque ad superstitiosa propensionem alliciat et foveat.

693. Parochis suademus, ut caveant ab iis quibuslibet, quae populum ab Ecclesia possunt avertere, nempe, ab horarum officiis praefixarum inobservantia, ab incondita prolixitate, quae fastidium generat, sicut et a nimia festinatione, quae aures oculosque offendit, ac praesertim a rerum sacrarum incuria, quae contemptum parit; et simul nihil omittant ex iis, quae populum allicere nata sunt, scilicet, probam cantus caeremoniarumque ordinationem ad docendum, delectandum et movendum aptam, omniaque alia ad Domus Dei decorem et cultus divini nitorem spectantia.

694. Invitamenta religiosa in scriptis, quibus populus monetur de festo celebrando in aliqua ecclesia, simpliciter loquantur de rebus agendis sub aspectu mere religioso, omissis omnino adhortationibus piis, nisi ab Episcopo fuerint approbatae, pariterque generatim omissis nominibus sacerdotum (praeter nomen concionatoris) et laicorum, qui in dictis festis interventuri sunt.

695. Quoties alicuius momenti restauratio in aliqua ecclesia peragenda sit, ibi divina officia, et praesertim asservatio SS^mi Sacramenti cessare debent; hoc enim exigit et reverentia sanctis, quae sancte sunt tractanda, debita, et fidelium adstantium devotio non impedienda, sed omni ope fovenda. Si ecclesia instauranda fuerit parochialis, Sanctissimum Sacramentum asservetur pro infirmis, sive in altera ecclesia, sive in loco decente ab Ordinario approbato.

696. Maxime commendatur sacerdotibus ne occasione cultum promovendi, sese alieno aere gravent magno cum sacerdotali dedecore. Gloria enim Dei, qui vult omnia ordinate fieri, non propria gloria quaerenda est a Sacerdote cultum divinum promovente.

697. Concilium nostrum commendat Episcopis, Capitulis et Parochis, omnibusque Ecclesiae Rectoribus, ut maiores Solemnitates Natalis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis Domini, Ascensionis eius, Pentecostes et Corporis Christi, omni possibili magnificentia in Cathedrali et caeteris ecclesiis celebrentur. Iisdem praeterea commendat celebrationem Festi SS^mae Trinitatis, et praeter festum Apparitionis Guadalupensis, de quo alibi singulariter statuitur, etiam festorum Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis ipsius B. V. Mariae, nec non festi S. Ioseph Sponsi eiusdem B. M. V.

698. In unaquaque Cathedrali Ecclesia Magister Caeremoniarum ab Episcopo et Capitulo constituatur, qui sacerdos sit probatis moribus, et Divinis Officiis, et Caeremoniis valde exercitatus, cui aequis sumptibus Capituli, Episcopi, et fabricae stipendium detur. Magistri autem Caeremoniarum officium erit, tam assistentes Choro, quam Altari Ministros admonere, ut in proprio cuiusvis munere unusquisque caeremonias obser-

vet. Obedientia vero Magistro huiusmodi Caeremoniarum praestanda est, eumque omnes audiant in Divinis Officiis et Caeremoniis celebrandis, aliter enim confuse ac perturbate agerentur.

699. Quoad iura, officia et privilegia Magistri Caeremoniarum, serventur Episcoporum Caeremoniale et decreta S. R. C.

700. Casu quo Magister Caeremoniarum videat in Ecclesiis, pro quibus est constitutus, non peragi functiones iuxta rubricas, nec observari decreta et resolutiones S. Rit. Congregationis, adeundus est loci Ordinarius, qui stricte tenetur opportunis remediis providere, ut Rubricae et S. Rit. Congr. decreta rite serventur. Si quid autem dubii obveniat, recurrendum ad eandem S. Congregationem pro declaratione.

TITULUS II.

DE MISSAE SACRIFICIO

701. Cum hominum natura ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronuntiarentur, instituit; et Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tantí sacrificií commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis ac pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem exciterentur. Titulum hunc in duo capita dividimus.

CAPUT I.

De Missae celebratione.

702. Ut Sanctissimum Missae Sacrificium, in quo illa Deo Patri placens Hostia, Iesus Christus in odorem suavitatis offertur, singulari religione ac pietate et a Sacerdotibus celebretur, et a populo colatur, haec Synodus decernit, ac iubet, ut tam in Cathedralibus quam in Parochialibus Ecclesiis omnibus huius Provinciae, Praebendati, Parochi et Beneficiati ceterique sacerdotes et Ministri, in celebrandis Missis, et Divinis Officiis recitandis, omnino sese accommodent ad Missale et Breviarium Romanum.

703. Cum vero Christus Sacrificium instituerit, ex pane triticeo et ex vino de vite conficiendum, sine quibus Sacrificium non adest, maximam adhibeant sacerdotes diligentiam, ut hostiae sint candidae, tenues, recentes, atque ita comparatae ut facile in fragmenta non dissolvantur. Praeterea tum ad legitimum triticum, cum ad vinum purum assequendum, ut certa Sacrificii materia hisce in locis habeatur, volumus et mandamus, ut quisque obsequatur normis in propria Dioecesi vigentibus.

704. Sub gravi prohibetur bis celebrari, seu Missam iterari uno die ab eodem sacerdote, extra festum Nativitatis Domini, et diem Commemorationis Omnium Defunctorum, in quibus permittitur tres Missas celebrare; prima die ex iure communi, secunda ex speciali privilegio.

705. Missa dici potest orta iam die, et in aurora, sed non ante mediam horam ante lucem.

706. Missis celebrandis in diebus colendis, Episcopus providebit, ut pro populi commoditate plures simul Missae non celebrentur, sed debito intervallo distribuantur. Intervallum, de quo agitur, esse potest unius quadrantis, inter finem unius Missae et principium alterius.

707. Sacerdos, antequam celebret, se colligat mente; antequam ad altare accedat, missam praeparet; sacris vestibus indutus cum nemine colloquatur, nec loquentibus det aures, et cum ad altare erit eundum, graviter et modeste procedat. Postquam vero Sancti Sacrificii celebrationem absolverit, in silentio secedat, et congruo tempore, unius saltem quadrantis horae, in gratiarum actione devote permaneat. Missa ad tertiam horae partem saltem debet pertingere, neque horae dimidium excedere, quia minori spatio non possunt omnia debito modo peragi, et spatio longiore taedio esset adstantibus.

708. Non nisi in ecclesia, vel in oratorio publico, semipublico, aut privato ex Apostolico indulto concesso et ab Episcopo visitato et approbato, Missa celebrari debet, firmis remanentibus privilegiis Episcoporum. Sacra etiam non celebrentur, ubi ara vel altare non invenitur, rite consecratum, ac Sanctorum reliquiis munitum. Episcopi igitur in sua visitatione altaria diligenter inspiciant.

709. Divini Sacrificii naturam, excellentiam, et saluberrimos fructus, necnon rituum illius et caeremoniarum significationes studiose admodum explicent Parochi sibi commissis fidelibus; ac, saepius, ipsos hortentur, omnique argumentorum genere excitent, ut quam fieri possit frequentius vel etiam quotidie, et corpore et animo ad veram pietatem composito, eidem intersint.

710. Nemo autem Missam audiens, in foribus Ecclesiae vel extra subsistat, nisi necessitatis causa; et quo tempore a sacerdote confessio dicitur et graviora Missae mysteria peraguntur, sint omnes flexis genibus. Ne ita prope ad altare accedat, ut indecorum sit et sacerdos perturbetur. Nemo prius discedat, quam sacerdos Evangelium, quod post benedictionem dicitur, absolverit, una cum precibus a Papa Leone XIII praescriptis post Missam.

711. Hortentur tandem frequenter iidem Parochi populum, ut in sua Parochia festis diebus Missam audire procuret, moneantque eum diligenter, ut in Parochiam suam, ubi commode id fieri potest, conveniat ad audiendum verbum Dei.

712. Missa parochialis, ea ipsa hora, quae ab Episcopo praefixa fuerit, exacte et absque ulla mora celebrabitur; Episcopi autem commendabunt Parochis, ne in condita huius Missae prolixitas taedio afficiat fideles, qui saepe hac de causa, a tali Missa abstinent.

713. Durante Missae celebratione, diebus dominicis vel festis, ubi non sit expositum SS. Sacramentum, collectio pecuniae a Clerico vel laico probo fiat, subveniendis sumptibus divini cultus destinata; sed reverenter, sine vexatione, neque ulla exigentia, neque inurbanitate, ne fideles merito conquerantur et ab ecclesia retrahantur. Praeterea, haec collectio minime fiat spatio temporis currentis a Missae Canone, aut *Sanctus*, usque ad sumptionem SS. Sacramenti. Si fuerit expositio SS. Sacramenti collectio dicta agatur ad fores Ecclesiae. Omnino prohibetur collectiones pecuniae simul in ecclesiis agi, diversis obiectis destinatae.

CAPUT II.

De stipendio Missae.

714. Cum equum sit eum qui altari inservit de altare vivere, recipiant sacerdotes a fidelibus eleemosynam, quasi sustentationis suae stipendium, nostris in Diocesis legitime praefinitam. « Sacerdos non accipit pecuniam, ut ait S. Thomas (2.^a 2.^{ae} q. 100, art. 1 ad 2), quasi pretium consecrationis Eucharistiae, aut Missae decantandae, sed quasi stipendium suae sustentationis... non tanquam pretium mercedis, sed quasi stipendium necessitatis ».

715. Pro Missis, quae certis horis celebrari debent, ratione maioris laboris et molestiae, maius stipendium percipere permittimus, ab Episcopo approbandum et determinandum pro locorum adiunctis.

716. Cum novissimis hisce temporibus plura gravissimaque de stipendio Missarum apostolica decreta prodierint, ad censuras vitandas, sacerdotes decreta ipsa perlegant et accurate observent.

TITULUS III.

DE CULTU SS. EUCHARISTIAE

717. Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, patriae cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibere debeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum. Nam

illum eundem Deum praesentem in eo adesse credimus, de quo Pater Aeternus eum introducens in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adoraverunt: quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur. (Conc. Trid. Sess. XIII, cap. 5). Haec nos considerantes, Titulum hunc tria in Capita distribuemus, quorum primum de SS. Sacramenti asservatione; secundum de SS. Sacramenti expositione; tertium denique de cultu SS. Sacramento exhibendo, pertractabit.

CAPUT I

De asservatione SS^mi Sacramenti.

718. Consuetudo asservandi in sacrario Sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam saeculum etiam Nicaeni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam Sacramentum Eucharistiam ad infirmos, et in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari, praeterquam quod cum summa aequitate et ratione coniunctum est, tum multis in Conciliis praeceptum invenitur, et vetustissimo Catholicae Ecclesiae more est observatum. Quare Sancta haec Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit. (Conc. Trid. Sess. XIII, cap. 6).

719. SS. Eucharistiae Sacramentum continuo servari potest ac debet in omnibus Ecclesiis Parochialibus, seu quae subditum populum habent, in Cathedralibus, Conventualibus utriusque sexus et in aliis ecclesiis quae certum et indubitatum Apostolicae Sedis indultum obtinuerunt.

720. Circa ritum asservationis Sanctissimi Sacramenti haec veniunt notanda:

a) Servetur fideliter quod Rituale Romanum praescribit sequentibus verbis:

« Curare porro debet Parochus ut perpetuo aliquot particulae consecratae eo numero qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda, et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta, et quantum res feret, ornato in tabernaculo clave observato.

« Hoc autem tabernaculum conopaeo decenter opertum, atque ob omni alia re vacuum, in altari maiori vel in alio, quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius, videatur, sit collocatum: ita ut nullum aliis sacris functionibus, aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. Lampades coram eo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo coluceat; curabitque Parochus, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra mundaque sint et conserventur.

« Sanctissimae Eucharistiae particulae frequenter renovabit. Hostiae vero, seu particulae consecrandae, sint recentes; et ubi consecrabit, veteres primo distribuat vel sumat. Particulae, de quibus agitur, toties renoveantur, quoties pro locorum conditione, necessarium sit, ut omnis corruptionis periculum sollicito avertatur. Earumdem renovatio singulis saltem hebdomadibus fiat ».

b) Tabernaculi ostium clavi diligentissime observetur, quae fideliter custodienda est a Parocho, vel a Rectore Ecclesiae, vel a Cappellano, si de ecclesiis monialium agatur. Duplicem illam esse consultum erit, ut una amissa, altera ad manus habeatur.

c) Oleum adhibendum pro lampade ex olivis exprimi debet; quod si haberi nequeat, remittendum pru-

dentiae Episcoporum, ut lampas nutriatur ex aliis Oleis vegetalibus.

d) Sanctissima Eucharistia servanda est in uno tantum altari designando ab Episcopo.

e) Super basi, in qua reponatur Sacra Eucharistia, extra Missam, non est necesse ut ponatur ara portatilis, sed solum corporale extensum huic speciali usui destinatum.

721. Praeter processionem in festo Corporis Christi habendam aliamve, pro qua expressa Antistitis licentia obtenta fuerit, Sanctissimum Sacramentum ex Ecclesia proferre non licet, nisi ut ad aegrotum portetur, vel quando instans profanationis periculum translationem fieri iubeat.

722. Ecclesiae firmiter occludantur, et frequenter inspiciantur, eorum fenestrae cratis muniantur, et omnia, uno verbo, media opportuna adhibeantur, ad sacrilega latrocinia praecavenda.

CAPUT III.

De expositione SS. Sacramenti.

723. « Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiae Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiae Sanctae ritum et consuetudinem, solemniter circum gestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatrias; anathema sit »¹.

¹ Conc. Trid. Sess. XIII, can. 6.

724. Cum SS. Sacramenti duplex fiat expositio; privata, seu sacrae pyxidis intra tabernaculum, eius ostiolo tantum aperto; et publica, seu Sacrae Hostiae in ostensorio insertae et in throno solemniter exhibitae: ad expositionem privatam quod attinet, Concilium hoc rem ad prudentiam Ordinarii in unaquaque Dioecesi relinquit: expositionem vero publicam quod spectat, ipsa Synodus, iuxta Benedicti XIV doctrinam, vult ut Sacra Eucharistia in quibuscumque ecclesiis etiam privilegio immunibus, sive saecularium sive regularium, non exponatur publice, nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerint; solius autem Episcopi est ut causae publicae meritum expendat.

725. Iuxta Benedictum XIV, causa publica, de qua ipse Pontifex loquitur, tanquam conditio necessaria exponendo Sacrae Eucharistiae publicae venerationi, esse potest ipsa Ecclesia aut eius necessitates¹. Causa publica etiam reputari potest devotio promovenda, circa quod nostram facimus doctrinam S. Alphonsi Ligorii hisce verbis contentam: « In hoc spectandum, an in illis locis, in quibus fit expositio, devotio et cultus Sacramenti magis augeatur, vel minuatur, et iuxta hanc regulam censeo expositionem faciendam vel omittendam; ubi enim viget devotio et cultus augetur, debita semper obtenta Ordinarii licentia, nescio praesertim iuxta praesentem nostrarum Regionum frequentem usum, cur potius non sit laudanda quam improbanda huiusmodi SS. Sacramenti expositio; modo (exciperem) non sit nimis frequens; nimia enim frequentia esset quidem causa ut reverentia erga tantum Sacramentum minueretur »². — Episcopi vero, in licentia SS. Sacramentum

¹ Benedictus XIV, Instr. 30.

² Opus Moral. S. A. Ligorii, lib. 6. num. 224.

publice exponendi concedenda, sequentia prae oculis habeant: 1.º quod existat realiter causa publica modo explicata: 2.º quod expositio non fiat simul in duabus ecclesiis vicinis: 3.º quod in ecclesia, ubi fieri velit expositio, omnia decenter, devote et liturgice peragantur: 4.º decretum S. Rit. Congr. scilicet: « Permitti potest inveterata consuetudo exponendi per totam diem SS. Sacramentum in iis solemnitatibus quae scopum habent sive Mysterium aliud ab Eucharistia, sive festum B. M. Virginis, aut alicuius Sancti »²: 5.º quod sit necessarium, in re tanti momenti, extrema vitare, quae similiter gloriae Dei et animarum saluti obesse possunt.

726. Magnis laudibus extollitur atque indulgentiarum copia cumulatur a Romanis Pontificibus expositio sollemnis in forma Quadraginta Horarum, qua scilicet in memoriam horarum quibus Salvator post mortem in sepulchro requievit, per totidem horas expositus solemniter maneat in Sacramento, et assiduis precibus adoretur. Maxime cordi est huius Synodi Episcoporum ut exercitium tam sanctum et salutare in hac Provincia solemnissime celebretur. Calamitates, quibus Ecclesia affligebatur praeterito aevo, illius primam institutionem pepererunt; nostri etiam temporis mala incitamento sint, ut ab eo remedium quaeramus.

727. Quoniam vero in regionibus nostris plura obstant quominus sollemnis haec expositio continuis XL horis fieri possit, benignitas Apostolicae Sedis difficultatibus istis condescendens, indulgentiarum gratiam precibus Quadraginta Horarum concessam, etiam tunc impertitur, quando causis gravibus stantibus, sicut apud

¹ 27 Sept. 1864.

nos stant, Sanctissimum Sacramentum continuis quadraginta horis, non proponatur adorandum, dummodo expositio, horis diurnis non interrupta, XL horarum spatium assequatur.

728. Non est dubium quin Rubricae obiectum habentes cultum Sanctissimi Sacramenti prae omnibus religiosissime servari debeant; quapropter Episcopi ardentissimo amore in Christum flagrantes, et zelo Sanctissimae Eucharistiae gloriae accensi, labores omnes adhibeant, pro cultu Sancti Sacramenti, maxime dum populo adorandum exponitur publice, ordinando conformiter Sacrae Liturgiae, et peragendo.

729. Iuxta decretum S. R. C. Iun. 1874, Instructio Clementina, pro XL horarum expositione, extra Urbem non obligat; laudandi tamen sunt qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statuatur.

CAPUT III.

De cultu SS. Sacramento exhibendo.

730. Instituatur canonice, ac iam instituta magis magisque foveatur ac propagetur, Confraternitas SS. Sacramenti, innumeris indulgentiis a Summis Pontificibus locupletata.

731. Piam Associationem ac Horae Sanctae exercitium commendamus libenter in nostra Provincia statui, illis in Parochiis, ubi Confraternitas SS. Sacramenti canonice sit erecta, iuxta regulas contentas in libro expresso edito, Auctoritatis Ecclesiasticae permissu.

732. Quia, in ipso Institutionis die, Sanctissimi Corporis Christi Sacramenti Festum, ea exteriori laetitia qua oportet, Ecclesia celebrare non potest, cum tota

mortis Christi Mystero sit intenta; post Santissimae Trinitatis Festum Feriam quintam immediate sequentem, cum signo spiritualis laetitiae, et exteriori apparatu, celebrandum, delegit. Quae festivitas ut cum omni devotionis affectu a populo christiano celebretur, praecipit haec Synodus, ut eam in festo SS. Trinitatis curati et praedicatores populo denuntient, eundemque moneant et exhortentur, quatenus toto animi conatu se praeparent ad Eucharistiam in ipso festo aut infra Octavam, percipiendam. Itemque, ut in processione ea reverentia et animi attentione, et exteriori modestia procedant, quibus ante Divinam Maiestatem in ipso Sacramento vere praesentem et existentem esse debent.

733. Ad reparandas gravissimas iniurias quibus Divina Maiestas in extremis bacchanalibus (vulgo *car-naval*) offenditur, volumus ut in ecclesiis omnibus, si fieri possit, pia exercitia in honorem SS. Sacramenti expositi, de licentia Episcopi, devotissime celebrentur.

734. In Ecclesiis, ubi Rosarium publice recitetur, SS. Sacramento exposito, vel reservato, preces speciales in honorem tanti Sacramenti minime omittantur.

735. Mandamus ut perpetuo in ecclesiis omnibus, vel saltem in Parochialibus, Provinciae Nostrae, die ultimo anni, exercitium vespertinum celebretur, SS. Sacramento exposito, in gratiarum actionem pro beneficiis, Pastoribus et ovibus a Divina Providentia per annum concessis.

736. Sacerdotes in concionibus publicis, in catechesibus, in iuventutis institutione, in Poenitentiae Sacramenti administratione, privatisque colloquiis fideles studiosissime instituant, atque commoneant, ut quam frequentissime, pro rerum suarum conditione, possint, ad

Sanctissimum Sacramentum devotissime visitandum concurrant.

737. In votis esset huius Concilii Provincialis, institutionem Congressuum Eucharisticorum ab Apostolica Sede approbatam, et per Orbem Christianum propagatam, etiam apud nos propagari ad maiorem gloriam SS. Sacramenti.

738. Rectores Seminariorum nihil non tentabunt, ut omnes Sacerdotii candidati bene instruantur de devotione SS. Sacramenti, in eaque in dies magis magisque eorumdem corda accendantur; quod ut efficaciter fiat, procurabunt ut praedicti candidati SS. Sacramentum visitent quotidie, maxima cum reverentia coram Ipso semper manentes; atque totis viribus cooperabuntur iuvenes, de quibus agitur, solemnitati Festi Corporis Christi etiam in Seminario maxima cum pompa celebrandae.

739. Quando Eucharistiae Sacramentum publice exponitur, omnes ante illud transeuntes cuiuscumque conditionis et ordinis sint, seu ad illud accedentes seu ab illo recedentes, utroque genu flectere debent.

740. Sacerdos Missam celebraturus, ante Eucharistiam expositam transiens, illam flexis genibus apertoque capite adoret.

741. Ne Sanctissimum Sacramentum sine adorantibus relinquatur, invitandi sunt laici, illi praecipue qui in aliqua Confraternitate inscripti sint, ad illum adorandum, candelas accensas in manibus tenentes et sequentem ordinem in adoratione servant: 1.º non admittantur plusquam sex personae utriusque sexus: 2.º candelabra quae lumina dicta sustineant, ponantur in determinato et fixo ecclesiae loco, ad quem accedere debent, per vicem, adoratores: 3.º viri viros, mulieresque mu-

lieres ad hoc invitent: 4.º mulieres, quae in ordinanda adoratione partem habeant, matura aetate sint et pietate conspicuae: 5.º id ipsum quoad pietatem de viris dicatur, sub quorum directione adoratio ordinetur: 6.º laici, cuiuscumque conditionis sint, non debent ingredi Presbyterium etiam praetextu adorationis praedictae.

743. Scholares iam in tenera aetate assuefaciendi sunt, ut erga Christum Dominum in Eucharistiae Sacramento praesentem, omni qua decet pietate et veneratione ferantur. Singulis saltem mensibus pueri et puellae scholas elementares frequentantes, a ludimagistris respectivis ducantur in ecclesiam, ubi sit expositum SS. Sacramentum, ad illud devote visitandum et adorandum.

744. In adoratione SS. Sacramenti publice expositi Sacerdotes exemplo praecant. Praeter paucissimos locos, in quibus ecclesia a domo parochiali longius abest, Parochus et Presbyteri adiutores omnimodam SS. Sacramentum adorandi commoditatem habeant. Laudem merentur qui, cum possint, horas canonicas coram Sanctissimo Sacramento recitant.

TITULUS IV.

DE SANCTISSIMO CORDE IESU

745. Quoniam obiectum cultus SS. Cordis Iesu duplex est partiale, unum adaequatum constituens: Cor scilicet mysticum, seu caritas ipsa Christi, et Cor reale seu carneum; et in cultu SS. Cordis Iesu, ratione unionis hypostaticae, cultus patriae esse debet: cumque mo-

tivum, propter quod specialis cultus Sacratissimo Cordi defertur, in eo maxime reponendum sit, quod Cor sit amoris et caeterarum animi affectionum symbolum, et finis generalis ipsius cultus Sacratissimi Cordis Iesu in eo repositus sit, ut hominum amor erga Christum excitetur; particularis vero ut iniuriae ipsi illatae, specialiter in Sacramento Eucharistiae, reparentur: et quia cultus Sacratissimi Cordis Iesu inter excellentissimas devotiones, ratione obiecti tum realis tum mystici, iure recensendus est, ac tum religioni, tum homini, tum praesentis societatis statui, accommodatissimus extat: cumque demum Sacratissimi Cordis Iesu devotio, ratione finis, eo quod animam cultoris multum perficiat, divitiis spiritualibus locupletet, eique pignus tum temporalis tum aeternae felicitatis praebat, inter exercitia Religionis quam maxime utilia admuneranda sit; quoad laudatum cultum sequentia sint decreta:

746. In singulis huius Provinciae ecclesiis, praesertim Parochialibus et Regularium, fidelium venerationi exponantur imagines SS. Cordis Iesu. Imagines vero solum Cor repraesentantes, privata ex devotione permitti possunt in domibus particularibus.

747. Volumus ut instituatur et promoveatur pia precantium foederatio, quae *Apostolatus Orationis* dicitur, commendata et gratiis aucta a Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII, tanquam aptissimum et efficacissimum medium, tum ad fidelium pietatem fovendam, tum ad obtinendas a Divina Clementia gratias, quibus hisce luctuosissimis temporibus tantopere indigent fideles.

748. Rector Seminarii diligentissime curet ut omnes alumni perfectissime hanc devotionem cognoscere studeant; cognitam, ex toto corde amplectentur; ceterisque totis communicare viribus adnitantur.

749. Studeant sacri verbi praecones, et qui curam gerunt animarum, huic devotioni tum sibi magis ac magis intelligendae et comparandae, tum etiam animabus, iis praecipue quae perfectiora aemulantur, aperiendae ac inculandae; idque sibi et aliis persuadere nitentes, Cor Iesu amantissimum divitias gratiae suae abundantissime in eos effundere omnes, qui suum cultum amplectuntur, et sollicite curant ab aliis amplectendum. Praetereaque id sibi habeant alte animo infixum, illos nempe concionatores qui huic devotioni exercendae ac praedicandae sedulo incumbant, movendorum animorum miranda vi atque arte pollere.

750. Die felicissima, qua pueri prima vice ad Sacram Communionem accedant, Parochi et Catechistae illos SS. Cordi Iesu devovere et consecrare, ac iam consecratos, simul cum aetate in Devotione Deifici Cordis proficere curabunt.

751. Pia exercitia maxime in feria sexta cuiuscumque mensis prima SS. Cordis Iesu in honorem celebrentur ac piae associationes prudenter foveantur ac instituantur; eiusdem SS. Cordis imagines in aedibus fidelium devote exponantur, et in locis, ubi fieri possit, ecclesiae vel saltem altaria Divino Cordi dicentur.

752. In concionibus et catechesibus habendis, omni tempore, sed praesertim mense Iunio SS. Cordi Iesu dicato, populus instruat de existentia, natura, et proprietatibus cultus eiusdem SS. Cordis Iesu; idque populo persuadere curetur, quod similis cultus non officit, sed potius favet cultui SS. Sacramenti, in quo vere, realiter et substantialiter continetur Cor mysticum et Cor reale Christi, obiectum adaequatum constituens cultus eiusdem SS. Cordis Iesu.

753. Ut in perpetuum nostrae erga Cor Dulcissi-

mum D. N. Iesu Christi devotionis et amoris indefessi monumentum existat, et digno salutarique termino Concilium nostrum concludatur, unanimes voluerunt Patres totam hanc Provinciam Guadalaxarensis et Concilium Sacratissimo Cordi Domini Nostri Iesu Christi consecrandum, in sessione solemni ultima, et iuxta formulam ab ipsis Patribus approbatam. Hac ratione, et nostrae vocationi respondebimus, et fidelium necessitatibus consulimus, et votis Summorum Pontificum obtemperabimus, potissimum vero SS. D. N. P. Pii IX et Leonis XIII, quorum primus ad PP. Concilii Prov. Senonensis ait: « Nihil ergo Nobis gratius contingere poterat, quam eisdem litteris agnoscere, quo ardenti sane studio incensi estis, Venerabiles Fratres, ut istius Provinciae fideles ad cultum erga SS. Divini Nostri Redemptoris Christi Iesu Cor magis in dies excitentur et inflammentur ».

754. Dioeceses et Parochias, et familias, fidelesque omnes volumus etiam singillatim Amantissimo Cordi Iesu consecrari; quod ut bene et recte fiat, Episcopi instructiones dabunt populis sibi commissis, de modo quo fieri debeat consecratio praedicta.

TITULUS V.

DE BEATA MARIA VIRGINE ET CAETERIS SANCTIS

755. Commendat ante omnia coniunctim haec Synodus omnibus Episcopis et caeteris docendi munus curamque sustinentibus, ut iuxta Catholicae et Apostolicae Ecclesiae usum, a primaevis Christianae Religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consen-

sionem, et sacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore, et legitimo Imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum, Dominum Nostrum, qui solus noster Redemptor, et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero impie sentire qui negant Sanctos aeterna felicitate in coelo fruente, invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam: vel pugnare cum verbo Dei, adversaque honori unius Mediatoris Dei et hominum Iesu Christi; vel stultum esse, in coelo regnantes voce vel mente supplicare.

CAPUT I.

De Sanctis in genere.

756. Episcopi curamque animarum sustinentes, de Sanctorum intercessione, invocatione et veneratione fideles diligenter instruant.

757. Bonam atque utilem esse Sanctorum invocationem atque intercessionem illos doceant.

758. Christum Dominum solum nostrum Redemptorem, Salvatorem et Mediatorem esse Dei et hominum necessarium; non ita Sanctos, qui tantum sub Christo intercessores et mediatores sunt hominum, patefaciant illis; praedicent etiam ipsis non solum invocandos, sed etiam honorandos et colendos esse sanctos, ob eorum excellentiam supernaturalem, eis concessam a Deo, in-

tuitu meritorum Christi, qui solus Sanctus, solusque Dignissimus omni gloria et honore est.

759. Summo studio curent Parochi, ut speciali religione celebretur dies Sancto uniuscuiusque populi Patrono coelesti, vel Ecclesiae Titulari dicatus, ut in memoriam omnium revocentur ipsorum excellentissimae virtutes, quas aemulentur, et beneficia, ipsis intercedentibus, accepta, quae gratum animum exigunt, ac spem fovent ampliora in futurum accipiendi, si eorum protectionem prosequi satagant. Caveatur praesertim ne Sanctorum Patronorum celebratione homines ad comessationes et ebrietates abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum, per luxum et lasciviam agantur. Meminisse vero oportet Patronum aut Titularem mutari non posse, nisi de licentia Apostolicae Sedis.

760. Cum, iuxta doctrinam Catholicam, Dei providentia datum sit, prout Catechismus Tridentinae Synodi loquitur, hoc negotium Angelis, ut custodiant humanum genus, singulisque hominibus praesto sint, tum ne gravius aliquod detrimentum patiantur, tum ut plurima divina, ipsis interpretibus et internuntiis, beneficia recipiant, monemus et in Domino obtestamur omnes verbi Dei dispensatores et praecipue Parochos ipsorumque Vicarios, ut Angelorum cultum, maximeque Angelorum Custodum, Sanctique Michaelis Archangeli militiae coelestis Principis promoveant, fidelesque probe doceant quantum in beatorum Spirituum protectione et invocatione tutaminis et auxilii habeant et invenire possint.

761. Quod quidem in primis praestandum est erga pueros, quorum intelligentia, etsi debilis, hanc devotionem facile percipit et tener animus amplectitur, quique ipsam libenter exercent, valde proficuos exinde fructus laturi.

CAPUT II.

De Beata Maria Virgine.

762. Post cultum patriae soli Deo debitum, venit hyperduliae cultus immaculatae Deiparae debitus, quem tantopere commendat Ecclesia; et quem postulant excellentissima divinae maternitatis dignitas, pietas specialis erga B. Virginem, ac tum inexhausta semper huius Virginis in homines misericordia, tum uniuscuiusque propria utilitas, experientia comprobante, hoc tanto patrocinio, peccatores in viam salutis revocari, iustos ad perfectionis apicem evehi, omniaque demum bona facile impetrari. Unde Patres huius Concilii, quoad Matris Nostrae Coelestis carissimae cultum, haec libenter iubemus:

763. Rectores animarum hac devotione, filiali que confidentia erga Beatissimam Virginem corda fidelium, vel a teneris annis imbuant.

764. Confraternitates, sub diversis titulis, in eius honorem institutas, prout prudentia suggesserit, erigantur: inter quas specialiter Associationes Filiarum Mariae, Confraternitas Rosarii, atque Purissimi Cordis Archiconfraternitas memorandae sunt.

765. Pia exercitia et festa in honorem B. V. Mariae celebrare solemniter, contentur Parochi.

766. Pius et optimus mos servetur et augeatur, singulari ratione mensem Maium cultui Bñae Virginis consecrandi. Omnia tamen fiant, iuxta ordinem ab Episcopo praescriptum et probandum pro locorum adiunctis.

767. Peregrinationes quoque sacras, etiam mere spirituales, ad Beatissimae Virginis Mariae celeberrima

Sanctuariorum, vel alia pia loca, ceu pergratum devotionis exercitium, immo et poenitentiae documentum, ecclesiae suffragio probatum, laudamus atque fovere volumus; ita tamen, ut non nisi consulto Episcopo, probante et normam illarum determinante, publice fiant.

768. Sapientissimi Leonis XIII commendationibus repetitis obtemperantes, hortamur fideles ad Rosarium frequenter, immo quotidie recitandum; ac praecipimus, ut, singulis mensis Octobris diebus, solemniori ratione Rosarium in ecclesiis Cathedralibus, parochialibus, aliisque Beatae Virgini dicatis, ad ipsius Sapientissimae Matris implorandum auxilium, misserrimis hisce temporibus, quibus tot tantaque mala Ecclesiae Catholicae eiusque Supremo Pastori impenduntur.

769. In omnibus Ecclesiis Cathedralibus Provinciae, Antiphona *Salve Regina* cum solemnitate cantetur singulis Sabbatis per annum, cui assistant et Canonicus pro tempore Hebdomadarius, ad recitandam Orationem, et Cappellani atque Cantores omnes, qui cum hoc onere ad officia huiusmodi admitti debent. Episcopis vero valde commendatur, ut omni sollicitudine piam hanc in Sanctissimam Virginem devotionem ubique augeri procurent.

CAPUT III.

De Beata Maria Virgine sub titulo de Guadalupe.

770. Circa specialem hunc et pulcherrimum cultum, qui gloriam nostrae Ditionis ac decus singulare constituit, gratissimo animo sequentia decernimus:

771. Guadalaxarensis primi Concilii Provincialis Patres, proprio nomine, totiusque cleri et populi, quibus praesunt, gratulanter amplectuntur et solemniter profi-

tentur piam dulcissimamque traditionem multiplici monumento comprobata, cum omnibus suis adiunctis, de Apparitione Beatae Virginis Mariae de Guadalupe, prout relata continetur in Officio novissimo a Sede Apostolica Ditioni Mexicanæ concessa, et in quo ita dicitur:

« Anno a reparata salute millesimo quingentesimo trigesimo primo, Deipara Virgo Ioanni Didaco, pio rudique neophito, Mexici in colle Tepeiacensi, uti antiqua et constanti traditione mandatur, sese videndam prae-buit, eumque peramanter alloquens, Episcopum adire, ipsique aedem inibi sibi sacram excitandam nuntiare iussit. Rei veritatem solerter exploraturus, responsionem distulit Ioannes de Zumarraga, loci Antistes; ac neophito Beatissimae Virginis adpectu imperioque rursus permoto, legationemque lacrimis et precibus iteranti, praecepit, ut signum, quo magnae Deo Matris ostenderetur voluntas, enixe peteret ».

« Dum viam a Colle Tepeiacensi remotiorem neophytus arriperet, et Mexicum, ne patruo lethali morbo correpto extrema deessent Sacramenta, sacerdotem advocaturus contenderet, eidem benignissima Virgo tertio occurrit; moerentem de patruo sanitate certiolem facit, rosasque pulcherrimas, contra loci hyemisque asperitatem, recens abortas in eius pallio compositas, Episcopo deferri iniungit. Mandatis obsequitur Didacus, cuius in pallio, rosis coram Episcopo effusis, Mariae sanctae imago, qua prorsus specie colle prope urbem sese exhibuerat, mirum in modum depicta conspicitur. Tanto percussi prodigio religiosam civem effigiem in Episcopali sacello rite asservendam curant; quae, paulo post, solempni pompa ad Aedem in colle Tepeiacensi extractam translata, insigni gentium cunctarum veneratione praefulget ».

772. Declaratio ista piae nostrae adhesionis veritati de apparitione Virginis Mariae de Guadalupe, volumus ut sit tum protestatio contra impiam doctrinam, dictam Apparitionem, temerario ausu, negantem aut in dubium revocantem; tum perpetuum monumentum filialis amoris et amplissimae gratitudinis sensus, quibus accenduntur corda Episcoporum, sacerdotum et fidelium totius huius Provinciae erga peramantissimam et clementissimam Mexicanorum Matrem.

773. Grato libentique animo declaramus Beatissimam Virginem Mariam de Guadalupe totius Ditionis simulque Ecclesiae Mexicanae Patronam esse Principalem, sicuti Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV declaravit, qui etiam proprium Officium Missamque sub ritu primae classis cum integra Octava benigne indul-sit, et egregius Pontifex, nunc feliciter regnans D. N. Leo XIII, ipsum Officium formose amplificavit, piam traditionem mirificae Apparitionis Guadalupanae illustrans, necnon Patronatum roborans eiusdem Virginis de Guadalupe, ac denique universali plausu praecipiens aurea corona coronari in terris nostram Augustam Reginam et Matrem amantissimam, erga quam laudatus Pontifex vehementer commendavit ardentissimam venerationem et amorem.

774. Commendamus Parochis Rectoribusque Ecclesiarum et verbi divini praeconibus, ut fideles instruant de cultu Beatae Mariae Virginis de Guadalupe, eiusdemque devotionem totis viribus promoveant verbo et exemplo.

775. Conentur etiam ii, quibus incumbit, Archiconfraternitatem B. M. V. de Guadalupe, canonicè erectam Mexici, de facultate Leonis XIII facta Metropolitanae illius Ecclesiae, instituere canonicè ac propagare in Provincia nostra.

776. Concilium Primum Guadalaxarense Provinciale omnino vetat ne, quis contra Apparitionem B. M. V. de Guadalupe aliquid scribere et docere praesumat. Si quis praeceptum hocce violaverit, sciat se incurrere notam temeritatis, et scandalum maximum praebere fidelibus, quibus notus esset talis agendi modus.

777. In votis est Episcoporum, ut ecclesiae vel saltem altaria quam plurima erigantur in honorem dulcissimae Mexicanorum Matris per totam nostram Provinciam.

778. In honorem tantae Virginis, die duodecima cuiuscumque mensis, pia exercitia in ecclesiis habeantur, Rosarium in scholis et collegiis speciali devotione recitetur, et mense Decembri festum Apparitionis B. M. V. de Guadalupe solemnissime celebretur, novendiali vel saltem triduo praecedente; hisque in exercitiis, omnique loco et tempore ferventissimas orationes clerus et populus ad eandem Virginem dirigant, pro remedio implorando tantorum malorum, quae Patriam nostram praecingunt.

CAPUT IV.

De Sancto Ioseph.

779. Quo cultus et pietas erga Sanctum Iosephum, Beatae Mariae Virginis Sponsum, magis magisque adaugeantur in nostra ecclesiastica Provincia, nonnulla statuenda duximus eiusdem cultum respicientia, videlicet:

780. Rectoribus animarum valde commendamus ut devotionem erga Sanctum Iosephum omni qua possint ope promoveant.

781. Episcopi instituant, vel iam institutam foveant piam Associationem Cultus Perpetui S. Ioseph, gratiis plurimis ab Apostolica sede ditatam, ac per orbem Christianum mirabiliter propagatam, maximo cum animarum profectu. Prae oculis vero habeatur, nemini licere, ratione hanc vel aliam devotionem fovendi, miracula in populum evulgare absque Ordinarii licentia.

782. Votis et praescriptionibus SS^mi D. N. Leonis XIII obsequentes, duo praesertim in Sancti Iosephi honorem facienda sunt, scilicet: 1.^o In recitatione Rosarii, saltem mense Octobris, adiungatur Oratio ad Sanctum Iosephum, iuxta formulam ab ipso Leone XIII assignatam: 2.^o Singulo quoque anno, ante diem XIX Martii, in templo cuiusque oppidi principe, supplicatio in triduum fiat.

783. Apud nos praesertim foveri a Parochis ac promoveri debet cultus S. Iosephi, utpote qui trecentis iam ab hinc annis solemniter a Concilio III Mexicano Patronus Ditionis Mexicanae declaratus est, et speciali concessione et privilegio S. Sedis imperiali corona labente saeculo XVIII redimitus. Hac de causa, Concilium Guadalaxarense hoc renovat declarationem specialis Patronatus S. Patriarchae super hanc nostram Provinciam.

784. SS^mi Papae Leonis XIII haec verba semper prae oculis habeantur: « Sed tamen quia intercessit Iosepho cum Virgine Beatissima maritale vinculum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse, ut nemo magis. Est enim coniugum societas necessitudoque omnium maxima, quae natura sua adiunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si sponsum Virgini Deus

Iosephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis eius ipso coniugali foedere participem. Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos Filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater »¹.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS
TITULUS VI.
DE SACRIS RELIQUIIS ET IMAGINIBUS

785. Duo sunt huius tituli Capita. In primo de Sacris Reliquiis, in secundo de Sacris Imaginibus agetur.

CAPUT I.

De Sacris Reliquiis.

786. Synodus haec Provincialis, considerans Sanctorum quoque Martyrum et aliorum cum Christo regnantium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, et ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur; damnans omnes qui affirmant Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandae causa, sanctorum memoriam frustra frequentari; prout iam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia: quoad Sa-

¹ Encycl. 15 Aug. 1889.

crarum Reliquiarum venerationem quae sequuntur praecipit:

787. Ne levitate animi Reliquias falsas pro veris Sanctorum Reliquiis coli veneratione contingat, nemini liceat eas in loco publico venerandas proponere, nisi prius ab Episcopo examinatae authenticae comprobentur.

788. Probatae et authenticae Reliquiae in aliqua ecclesia existentes, extra Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti Eucharistiae serventur.

789. Corpora Sanctorum et qualescumque alias Sacras Reliquias fideles congruis prosequantur honoribus.

790. Sacrum lignum crucis non in eadem reconducatur theca ac caeterae Reliquiae.

791. Ante Sacras Reliquias expositas lampas continuo ardere debet, et super altare saltem ardeant duo lumina: alias Reliquiae non exponantur.

792. Reliquiae possunt in altari exponi ut fidelium venerationi offerantur, et in processionibus deferri, et cum illis benedicere populo licet, ritibus servatis servandis.

793. Illicitum est, sub quovis praetextu, emere Sanctorum Reliquias.

794. De illo Sancto, cuius in Ecclesia habetur Reliquia insignis, possunt in eius die festo recitari Officium et Missa cum *Credo* sub ritu duplici, in illa Ecclesia ubi asservatur.

795. Non oblivioni tradatur, Reliquiam insignem, iuxta S. Rit. Congr. decreta, esse: corpus, vel caput, vel brachium, vel crus, vel illa pars corporis, ubi Sanctus cuius est reliquia martyrium pertulit; modo sit integra et non parva et legitime ab Ordinario approbata.

CAPUT II.

De Sacris Imaginibus.

796. Memores horum Tridentini verborum: « Imagines porro Christi, Deiparae Virginis et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendae et retinendae, eisque debitus honor et veneratio impertienda, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adremus et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum... Statuit Sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit »¹: Nos Patres huius Guadalaxarensis Synodi Provincialis, circa cultum Sacrarum Imaginum, haec ad memoriam revocare, et statuere volumus:

797. Ad fidem christianam spectat, credere Imagines et Reliquias Sanctorum veneratione dignas esse.

798. Cultus qui Reliquiis, et magis etiam qui Imaginibus exhibetur, relativus est, scilicet refertur ad eam personam, quae Imagine vel Reliquiis repraesentatur;

¹ Conc. Trid., Sess. XXV.

ita ut cultus qui exhibendus est Imaginibus et Reliquiis Christi, Itriae; qui Imaginibus et Reliquiis B. Virginis Mariae, hyperduliae; et qui Imaginibus seu Reliquiis aliorum Sanctorum, duliae dicatur. Uno verbo, Imagines Dei et Christi adorandae, aliaeque venerandae sunt. Idem dicatur de Reliquiis.

799. Imagines non lacerae sint, non inverecundae, ac nihil profanum praeseferentes, sed ad pietatem excitandam aptae.

800. Nullae Statuae vel Imagines fidelium venerationi publice exponantur, nisi ab Episcopo vel ab illo qui facultatem habeat, approbatae et benedictae fuerint: et quae ipsa sua antiquitate sunt venerabiles, non nisi gravissima de causa ab Episcopo severe examinanda, nec facile admittenda, de eiusque licentia, servatisque servandis, cum novis commutentur.

801. Imagines de cetero construendae (si fieri possit) aut pictae sint, aut, si sculpantur, hoc ita fiat, ut eas vestibus ornare minime opus sit; quae vero hoc tempore iam exstant, proprias habeant vestes deputatas, et ulterius vestibus commodatis de usu profano nunquam induantur Imagines. Imagines autem quando vestibus, aut alio modo, erunt ornandae, ad effectum huiusmodi, extra ecclesias ne ferantur.

802. Ob reverentiam Sanctissimae Crucis, Sanctorumque Imaginibus debitam, nullatenus liceat in obiectis usui profano destinatis Crucem, Imaginesve Sanctorum aut alias res sacras depingere aut sculper; qui secus fecerit, a Iudicibus Ecclesiasticis corrigatur.

803. Doceatur populus continuo, quantum sit discrimen inter cultum Sacris Imaginibus etiam Christi, et cultum Sanctissimo Sacramento tributum: in Sanctissimae Eucharistiae Sacramento non figura, non imago

sed realitas ipsa, seu ipsemet Christus realiter praesens colitur et adoratur. Mens igitur fidelium, prae omnibus veneratione dignis in ecclesia existentibus, in Sanctissimum Sacramentum ferri debet.

TITULUS VII.

DE TEMPLIS ET ORATORIIS

804. Tria in capita materiam hanc dispertientes, in primo de Templis; de Oratoriis in secundo; et in tertio de violatione Sacrorum locorum, dicemus:

CAPUT I.

De Templis.

805. Omnes quidem norunt quanta sint dignitate atque sanctitate christiana templa insignita, quippe quae tam sanctis ac mysticis, plenis significationibus, in sacris eloquiis passim nominibus appellantur. Templum domus est orationis, uti passim Scripturae Sacrae testantur: « Domus mea domus orationis vocabitur »: in ea enim omnis qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur; « Terribilis locus » nominatur a Iacob et « Porta coeli ». — Ideo Synodus nostra sequentia circa templum et aliquas eius partes, necnon de rebus sacris Divino cultui destinatis, praecipit:

§ I.

QUOAD ERECTIONEM TEMPLORUM.

806. Non licet ecclesias aut erigere aut in re notabili reparare, nisi de licentia Episcopi.

807. Ad erectionem Cathedralium, Collegiatarum atque privatorum Oratoriorum requiritur licentia Apostolicae Sedis; sin vero de Parochialibus Ecclesiis atque publicis Oratoriis sermo fiat, licentia Episcopi satis est.

808. Nemini liceat ullo in loco vel ecclesia, etiam exempta, aliquam insolitam ponere imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit.

§ II.

QUOAD ALTARIA.

809. Quia Altare dicitur *fixum* et *portatile*, duplici modo: primo enim modo *fixum* est illud cuius structura lignea seu lapidea pariete, columnae aut pavimento immobiliter adhaeret, sive eius mensa sit altare fixum stricte dictum, sive tantum ara lapidea et portatilis; *portatile* autem seu mobile est, quod ad tempus in aliquo ecclesiae loco erigitur occasione alicuius solemnitatis, et ea peracta removetur; altero autem modo (iuxta quem hic et nunc illud consideramus) altare *fixum* est lapis, altaris superficiem tegens, qui lapideae vel lateritiae vel lignae structurae inferiori coniungitur, et cum ea unum efficit, ita ut omni ex parte mensae adhaereat et stipiti innitatur; *portatile* autem seu ara lapidea, est simplex lapis consecratus qui absque nexu mensae altaris inseritur; hac super materia, sequentia ab Ecclesia praescripta, observari mandamus:

810. Decet saltem altare principale uniuscuiusque ecclesiae unica, dura atque polita ara lapidea, tegente omnem mensam altaris, constare, et, si fieri hoc non possit, mensas tam maioris quam caeterorum altarium, lateritias vel ligneas et unum quid cum stipite consti-

tuentes construi volumus, et mediam aram, in medio mensae esse ponendam, non nisi ab anteriori parte removendam, et aliquantulum elevatam, ut eius limites facile dignosci possint, ac ne detur periculum consecrandi extra eandem.

811. Nulla foramina aut *fenestelas* in altare fixo confodiantur, quia in illo non nisi Reliquias Sanctorum reponere convenit.

812. Ara altaris talis sit, ut praeter calicem et patenam, pyxidís et ostensorii continendi commode capax existat.

813. Altarium mensae, in quibus celebretur Sanctissimum Missae Sacrificium, tribus coopertae mundissimis linteis seu tobaleis, ab Episcopo vel alio habente potestatem, benedictis inveniantur, quorum una, a lateribus, usque ad terram pertingat, si est consuetudo.

814. Antependium seu frontalis, colori officii diei respondere debet; sed illo uti necessum non est, si altare auro vel lapide pretioso ornatum sit.

815. Candelabra saltem duo in unoquoque, sex autem in maiori altare, cum candelis hinc inde in utroque latere super gradu mensae collocentur; in centro autem crucifixum, ac ita candelabris superemineat, ut et sacerdos Sacrificium agens, et fideles qui Sacrificio intersunt, Imaginem Iesu Christi commode conspiciant, nisi in altare adsit magna statua SS. Crucifixi.

816. Convenit in altare collocare imaginem illius Sancti, in cuius honorem est dedicatum; alterius autem Sancti imaginem in principali loco altaris ponere non decet.

§ III.

QUOAD SACRISTIAM.

817. Locus sit silentii atque orationis, et eius ordinem et munditiam Parochus sollicite curare debet.

818. In sacristia armaria recto operculo custodita sint, ubi vasa sacra missaliaque servantur; duplex autem sit vestiarium, alterum pro superpelliceis et stolis, alterum pro utensilibus sacerdotum collocandis.

819. Aquamanile cum mappis mundis et tabella cum oratione « Da, Domine », in aptiore loco ponatur.

820. Paramenta sacra omnium colorum iuxta mandata Rubricarum sint, munda atque integra, pro magna reverentia sanctissimis mysteriis debita; materia eorum aurea vel serica sit manipulis, stolis et casulis; albae, mantilia, corporalia, palla et purificatoria ex lino aut cannabina sint. Permitti potest haec paramenta per gyrum vittas retunculares (vulgo *encajes*) e gossypio habere. Cingula possunt esse serica aut ex lino. Palla super hostiam ponenda, sit lineae. Purificatoria benedicti non debent. Superpelliceus, autem, pluviales, atque dalmaticae praevia benedictione vel absque illa adhiberi possunt.

821. Calices ac pyxides qui iugiter mundissimi esse debent, ex auro construantur; quod si argentei vel ex alio sint metallo rite admissio, deauratas cuppas et patenas habeant.

822. In paramentorum mensa quae in sacristia est, imago D. N. Iesu Christi cruci affixi existat.

823. Mensa denique habeatur portatilis pro aegrotis Sanctissimo Eucharistiae Sacramento deferendo; et crucifixo, candelabris tribus cum totidem candelis, vasculo

ad aquam pro abluendis, et purificatorio linteo pro abstergendis digitis, linteaminibus, caeterisque necessariis omni cura illam mensam instrui Parochi procurent.

CAPUT II.

De Oratoriis.

824. Oratoria ad usum publicum destinata, seu cuius ingressus patet omnibus fidelibus, publica sunt, cunctisque gaudent privilegiis atque gratiis, quae talibus a iure concedi solent.

825. De ipsis intelligi possunt leges circa erectionem et conservationem ecclesiarum, prout antea dictum est. Quoad Oratoria semi-publica, servantur recentiora S. Sedis decreta, quae omnem difficultatem et dubitationem e medio tollunt.

826. Parochi visitent haec Oratoria et videre curent utrum omnia in illis ad Sacrificium necessaria sint.

827. In Oratoriis, in privatorum domibus erectis, nequit celebrari Missa neque alia peragi functio sacra, nisi de licentia Apostolicae Sedis, et secundum concessionem in litteris pontificibus contentam, et Episcopo exhibendam prout de iure.

828. Parochi hac super re identidem perquirant: et si quid emendandum invenerint, Episcopo nuntient, cuius est iudicare de idoneitate loci, de conditione paramentorum, caeterorumque in casu.

CAPUT III.

De violatione sacrorum locorum.

829. Tempa violantur: *a)* Per humanum sanguinem effusum copiosum, et graviter peccaminosum; *b)* per

sensualitatis peccatum qui effusionem humani seminis includat; sed requiritur ut publica sit iure vel facto: *c)* per inhumationem defunctorum excommunicatorum nominatim et infidelium: *d)* per homicidium voluntarium etiam iusta de causa commissum.

829. Ecclesiae reconciliatio ab Episcopo facienda est, si fuerit consecrata, iuxta Pontificale Romanum; a simplice vero Presbytero, si solum fuerit benedicta, iuxta Ritualis Romani rubricas, de licentia Episcopi.

830. Si ecclesiae violatio ex delicto inhumationis excommunicati vel infidelis proveniat, prius cadaver exhumari necessum est, quam ad reconciliationem perveniatur.

TITULUS VIII.

DE CANTU ECCLESIASTICO ET MUSICA SACRA

831. Ad significandos excitandosque animi affectus, sonus apte dispositus plurimum confert, et cantus et musica a laudibus divinis numquam abfuerunt: et hoc testantur Veteris Foederis libri, in quibus legitur, quod, curribus Pharaonis et exercitu in mare proiectis, Moyses et filii Israël cecinerunt Domino et quod in Templo Hierosolymitano Levitae deputati erant, qui Dominum in psalmis laudarent et canticis, in cytharis et cymbalis iubilationis; et in Novo Testamento Apostolus Paulus hoc ipsum commendavit, dum fideles hortatur, ut loquantur sibimetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes Domino in cordibus suis: atque iis inhaerens Catholica Ecclesia, prout ceteras artes, ita har-

moniarum concentum ad laudem Dei, a primis iam saeculis admisit in liturgia sua ad promovendum simul fidelium aedificationem: et quia facillime in musica miscentur sacra et profana, caute agendum esse voluit ipsa Ecclesia, ut omnia quae pietatem impedirent, potius quam foverent omnino eliminarentur; et Tridentina Synodus Ordinariis praecipit, ut ab ecclesiis musicas eas, ubi sive organo, sive cantu, lascivum aut impurum aliquid miscetur, arceant; unde Benedictus XIV ait: « Hoc etiam proculdubio ad Episcopi officium pertinet, ut synodalibus decretis ecclesiasticae musicae rationem, quatenus in Dioecesi sua opus esse cognoverit, ad certas regulas exigat atque componat, ut corda fidelium ad pietatem excitet, et non aures solas, sicuti fit in theatris, inani voluptate demulceat »¹; et hac ipsa de re Constitutionem edidit, sicut et alii Summi Pontifices fecerunt, et saepe Sacrae Romanae Congregationes.

832. Omnia et singula quae Musicam Sacram respiciunt in novissimis S. Sedis decretis ordinata, determinata et statuta habentur. Ideoque Episcopi, parochi aliique ecclesiarum rectores omnesque, ad quos res pertinet, diligentissime et fidelissime praefata decreta servare tenentur.

TITULUS IX.

DE NITORE ET MUNDITIA SACRAE SUPELLECTILIS

833. In mentem revocentur quae et quanta in Scripturis Sanctis Deus iusserit, ut Arca Veteris Foederis, sive in tabernaculo, sive postea in templo ma-

¹ De Synod. Dioec. Lib. XI, cap. 7, n. 1.

xima cum reverentia et honore custodiretur; quanta cum solemnitate, quantoque cum decore dies festos et sacrificia agere oportebat; qui nitor in vasis sacris et in omni supellectili ad sacrificia necessaria a sacerdotibus huic officio addictis erat servandus. Attamen haec in figuris contingebant illis et Arca Veteris Foederis non nisi figuras Arcae Novi Foederis continebat. Iam in nostris templis non umbram, sed rem ipsam habemus: hic Christus realiter ac substantialiter inhabitat, quasi expiationis victima sub panis speciebus. Millia millium ministrant ei, et decies millies centena millia assistunt ei. Nostra templa non ad animalium sacrificia offerenda, sed ad Incruentum Corporis et Sanguinis Christi Sacrificium mundum et unicum in universo orbe destinantur.

834. Sacerdotum igitur nostrorum veluti munus gravissimum commendamus maiori ferme diligentia, ut par est, quam Sacerdotes Veteris Foederis, templorum nostrorum decoris, nitorisque curam habere. Non sane ipsis impositum est ut pretiosissimis quibusque (quae temporum iniuria et Christi fidelium tepiditate haberi saepe non possunt) templa sibi commissa ornent et decorent, sed ut iis, quae ad eorum ornatum et splendorem conferre possunt, diligenter provideant.

835. Hortentur saepe populum ut intelligat quanti domus Dei sit facienda et quantum in ipsius emolumentum etiam cedat, ut Dei templum maiori quo fieri possit splendore ornentur. Si enim Christus centum se datum promisit iis, qui unum pauperibus dant, quos ipse diligit, suorumque fratrum in numero habet, quid daturus eis est qui ipsimet generose suas divitias largiuntur? Quid non Magdalenae retribuit, quae pretioso unguento capillos eius unxit, pretiosaque ad eius sepulchrum aromata attulit?

836. Studiose denique provideant, ut statuae et sanctorum imagines, parietes, pavementum et templi altaria, nitida custodiantur et munda: sed maxime omnium vasorum sacrorum, linteaminum, ornamentorum omnisque supellectilis, quae ad altaris Sacrificium inservit, mundities diligentissime servetur.

837. Quum in cultu divino ordinando ac devote peragendo oporteat Synodum nostrum statuere leges, quibus famuli ecclesiae in rebus ad cultum divinum pertinentibus, subiici debeant, et sub hoc nomine designandi sint: Sacrista, acolyti laici, cantores, musici et campanarum pulsator: regulas, quae sequuntur, ad famulorum rectam agendi rationem, praefigimus.

838. Ecclesiae Rectores, omni diligentia studeant, ut, omni respectu humano posthabito, famuli sint viri probi, atque pii, nullo vitio irretiti, nec infames, aut publici peccatores; indecentissimum est enim, et nunquam satis lugendum, quod ad Sancta Sanctorum accessum habeant, pro officio angelorum fungendo, personae quae nullum ad familiam mediocriter honestam accessum haberent.

839. Opportunum remedium tanto malo, ex parte providebitur, ope Scholarum quibus cantores et musici in virtute et arte christiana sufficienter instruantur et edoceantur.

840. Consultum esset quod famuli praedicti cognati non essent Parochi aut Rectoris ecclesiae; contingit enim

non raro, experientia teste, ut haec circumstantia dissidiarum et abusuum incorregibilium, magno cum scandalo fidelium et cultus divini detrimento, origo sit.

841. Curetur enixe ut officiales, de quibus agitur, reverentiam omnibus rebus sacris et personis, et obedientiam in iis, quae sui officii propria sunt, sacerdotibus sponte et libenter praestent.

842. Non facile dentur aures dictis personis, quae multoties, invidia motae, et desiderio sibi indebite conciliandi animum superioris, collegas, fideles et sacerdotes ipsos calumniantur, vel eis detrahunt.

842. Caveant Rectores ecclesiarum alios officiales aliis praeferre sine merito, ne unquam contingat, ut officialis, qui aliis se existimat praelatum, sibi arrogare velit facultatem omnia disponendi, et praecepta imponendi etiam ipsis sacerdotibus, quod, ut experientia testatur, in barathrum malorum sacerdotes et populum frequenter coniicit. Uno verbo, Sacerdos sit, qui cum de cultu divino agatur, ecclesiam aut parochiam gubernet, non laici multoque minus ipsius sacerdotis cognati.

843. Curetur quod memorati famuli cum urbanitate recipiant et audiant fideles, qui, aliquo motivo iusto, ad illos accedunt.

844. Cum certum sit bonum operarium mercede bona dignum esse, nihil praetermittatur, ut famuli ecclesiae sint bene remunerati, et sic vitetur quod egestas occasio sit illis aliquid indebitum peragendi.

845. A Sacristia aliisque ecclesiae locis adiacentibus laicorum nimia frequentia, sive hominum, sive mulierum, arceatur, atque debitum silentium ibi servetur, ac iurgia, rixae, confabulationes, actusque profani removeantur. Si necessarium sit loqui cum aliquo, submissa voce fiat.

847. In modo se gerendi Rector ecclesiae cum famulis suis, extrema aequè mala devitare oportet, scilicet, inconditum rigorem et nimiam familiaritatem, quia primum caritatem labefactat, secundum vero auctoritatis contemptum parit.

SECTIO IV.

DE BONIS ECCLESIASTICIS

848. Cum Ecclesia, quam Dominus Noster Iesus Christus instituit, independenter ab omni terrena potestate, sit perfecta societas, visibilis et usque ad saeculi consummationem duratura; cumque hoc ipso media ad supernaturalem institutionis suae finem assequendum immediate per assistentiam Spiritus Sancti a Christo Domino acceperit, ita tamen ut ipsius Ecclesiae curare sit, debito Dei cultui atque ministrorum sustentationi operumque caritatis exercitio stabiliter providere; ipsa ius habet acquirendi et possidendi bona mobilia et immobilia, et illa administrandi hunc in finem, necessaria et opportuna.

TITULUS I.

DE IURE ECCLESIAE BONA POSSIDENDI

849. Ecclesia, cum sit perfecta societas ex hominibus constituta, et ad finem supernaturalem instituta, ius habet perfectum quaecumque bona possidendi.

850. Ex iure naturae, divino et ecclesiastico comparare et possidere debet omnia quae debito Dei cultui, ministrorum sustentationi operumque caritatis exercitio opus fuerint.

851. Damnatum ergo proclamamus errorem eorum, a Pio PP. IX in Syllabo sub n. 26 confossum, qui asserunt Ecclesiam non habere nativum et legitimum ius acquirendi et possidendi.

852. Ecclesia igitur et sua institutione et divini Fundatoris voluntate, ius habet sive pecunias, sive bona stabilia et frugifera sibi acquirendi et possidendi.

853. Excommunicationis poena, ipso facto incurrenda ac Summo Pontifici reservata, in eos infligitur qui ausu prorsus sacrilego, cuiusque Ecclesiae aut pii loci, bona invadere vel usurpare non reformidant¹.

854. Similiter damnatos se esse meminerint, excommunicatione latae sententiae SS. Pontifici speciali modo reservata, usurpantes vel sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum Ecclesiarum et Beneficiorum, pertinentia².

TITULUS II.

DE BONIS ECCLESIAE MOBILIBUS ET IMMOBILIBUS

855. Quoniam Bona Ecclesiae sunt duplicia: mobilia, ad quae reducuntur proventus, et immobilia; de utrisque aliqua decreturi sumus.

¹ Concil. Trid. sess. 22, cap. 9, de ref., et Const. *Apostolicae Sedis*.

² Const. *Apostolicae Sedis*.

847. In modo se gerendi Rector ecclesiae cum famulis suis, extrema aequè mala devitare oportet, scilicet, inconditum rigorem et nimiam familiaritatem, quia primum caritatem labefactat, secundum vero auctoritatis contemptum parit.

SECTIO IV.

DE BONIS ECCLESIASTICIS

848. Cum Ecclesia, quam Dominus Noster Iesus Christus instituit, independenter ab omni terrena potestate, sit perfecta societas, visibilis et usque ad saeculi consummationem duratura; cumque hoc ipso media ad supernaturalem institutionis suae finem assequendum immediate per assistentiam Spiritus Sancti a Christo Domino acceperit, ita tamen ut ipsius Ecclesiae curare sit, debito Dei cultui atque ministrorum sustentationi operumque caritatis exercitio stabiliter providere; ipsa ius habet acquirendi et possidendi bona mobilia et immobilia, et illa administrandi hunc in finem, necessaria et opportuna.

TITULUS I.

DE IURE ECCLESIAE BONA POSSIDENDI

849. Ecclesia, cum sit perfecta societas ex hominibus constituta, et ad finem supernaturalem instituta, ius habet perfectum quaecumque bona possidendi.

850. Ex iure naturae, divino et ecclesiastico comparare et possidere debet omnia quae debito Dei cultui, ministrorum sustentationi operumque caritatis exercitio opus fuerint.

851. Damnatum ergo proclamamus errorem eorum, a Pio PP. IX in Syllabo sub n. 26 confossum, qui asserunt Ecclesiam non habere nativum et legitimum ius acquirendi et possidendi.

852. Ecclesia igitur et sua institutione et divini Fundatoris voluntate, ius habet sive pecunias, sive bona stabilia et frugifera sibi acquirendi et possidendi.

853. Excommunicationis poena, ipso facto incurrenda ac Summo Pontifici reservata, in eos infligitur qui ausu prorsus sacrilego, cuiusque Ecclesiae aut pii loci, bona invadere vel usurpare non reformidant¹.

854. Similiter damnatos se esse meminerint, excommunicatione latae sententiae SS. Pontifici speciali modo reservata, usurpantes vel sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum Ecclesiarum et Beneficiorum, pertinentia².

TITULUS II.

DE BONIS ECCLESIAE MOBILIBUS ET IMMOBILIBUS

855. Quoniam Bona Ecclesiae sunt duplicia: mobilia, ad quae reducuntur proventus, et immobilia; de utrisque aliqua decreturi sumus.

¹ Concil. Trid. sess. 22, cap. 9, de ref., et Const. *Apostolicae Sedis*.

² Const. *Apostolicae Sedis*.

CAPUT I.

De bonis Ecclesiae mobilibus.

Primum de Decimis et Primitiis; postea de Oblationibus agemus.

§ I.

A) - *Quoad Decimas.*

856. Decimae dicuntur illa fructuum aut industriarum personalium portio, quae a fidelibus tribuenda est Ecclesiae ministris pro eorum sustentatione.

857. Decimae debentur ex iure divino; sed quoad quantitatem, id est, decimam partem, sunt ex iure ecclesiastico.

858. Iuxta praesentem consuetudinem universalem, hac in Provincia decimae solvuntur solum ex fructibus terrae et animalium.

859. Haec Synodus statuit et mandat, ut omnes fideles huius Provinciae ad quos decimarum et primitiarum solutio spectat, eas quas de iure vel consuetudine persolvere tenentur, persolvant, sine dolo et fraude, sub poenis a iure statutis.

860. Concilii Tridentini auctoritatem sequuta haec Synodus praecipit ut nemo, cuiuscumque gradus et conditionis sit, decimarum et reddituum ecclesiasticorum solutionem impedire audeat, subtrahere, aut occupare directe vel indirecte, vel per se, vel per interpositam personam, nec impediatur exactionem, locationem, augmentum et beneficium decimarum et reddituum huiusmodi, sub poena excommunicationis.

B) - *Quoad Primitias.*

861. Primitiae ita vocantur quia sunt oblationes primi fructus agrorum, vinearum, etc.

862. In Ecclesia Mexicana viget lex primitiarum, prouti expressa fuit in Concilio III Mexicano.

863. Quantitas primitiarum non est determinata, sed standum est ad legitima locorum statuta et legitimas consuetudines.

§ II.

DE OBLATIONIBUS.

864. Oblationum nomine venit quidquid offertur Ecclesiae quocumque modo, in Missa vel extra et in Ecclesia vel extra; et antiquissimus earum est usus, ab ipsa Apostolorum aetate repetendus.

865. Oblationes initio erant voluntariae, sed temporum lapsu in laudabiles consuetudines abierunt, ita ut a Concilio IV Lateranensi sancitum fuerit ut liberaliter quidem Sacramenta caeteraque officia sacra administrarentur, sed fideles tamen consuetas oblationes praestarent, recusantesque ab Episcopis cogi possent. Non vero dantur ut pretium rerum sacrarum, in quo esset simonia, sed tanquam praemium laboris, et tanquam alimenta debita, et quae solvi debent iuxta taxationem approbatam in Dioecesi.

866. In triplici casu oblationes debentur: 1.º per modum census, pensionis aut conventionis antea factae cum ecclesia; 2.º ex testamento, legato, donatione, quo casu Episcopo nuntietur; 3.º ad congruam Episcopi et

sacerdotum sustentationem atque ad cultum divinum fovendum.

867. In oblationibus, quae praestantur a fidelibus ad determinatum finem, v. g. ad reparandam ecclesiam, attendendum est ad offerentium intentionem, salva tamen facultate a Tridentino Episcopis concessa.

868. Oblationes, quae fiunt oratorii, cappellis aut aliis locis, intra vel extra ecclesias, ubi aliquae imagines miraculosae depictae vel sculptae existunt, ad oratorium ipsum seu cappellam, ad splendidiorem cultum imaginum vel cappellae pertinent.

869. Ex iure communi et consuetudine, solae oblationes, quae sub Missis ad altare fiunt et in Sacramentorum administratione, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, Parochi sunt.

870. Oblationes in ecclesiis Regularium factae intra Missarum solemnia possunt a Regularibus recipi: cum monachis ibi servantibus debeat proficere quicquid a fidelibus offerri contigerit.

CAPUT II.

De bonis Ecclesiae immobilibus.

871. Apostolos curam pauperum egisse, nemo dubitat: atque primos christianos bona sua in eorum alimoniam distribuendam ad pedes Apostolorum posuisse, ut per ipsos in pauperes dispensarentur, constat ex Actis Apost. IV, 3: « Quotquot enim possessores agrorum et domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum quae vendebant et ponebant ante pedes Apostolorum ». Non vero solum eleemosynae in pauperum alimoniam

erogandae, sed etiam loca pauperibus recipiendis et curandis destinata fuere. Haec autem bona praecipue sunt: templa in primis, seu loca benedicta ad cultum divinum destinata et inter ea numerantur Cathedralia, parochiales ecclesiae et aliae, iuxta erectionis suae aut dedicationis titulum; secundo, omnia pia loca, ubi Ecclesia beneficentiam exercet, exempli gratia, Hospitia, Orphanotrophia, Nosocomia, Scholae, Seminaria etc.; ac demum universa alia immobilia, quae ab ea legitime acquisita fuerint.

872. Sine canonicis praescriptionibus, nemini liceat ea bona alienare et ad alios usus, quibus non sint destinata, usurpare.

873. Episcopis in primis eorum conservationem et curam competit, necnon administratoribus, sed Ordinario subiectis, si non sint exempti a privilegio vel a iure.

TITULUS III.

DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIAE

874. Ut omnia bona, sive quae nunc in Provincia nostra habet Ecclesia, sive quae in posterum ex fidelium pietate, vel alio titulo, ab Ecclesia acquiri contingat, sarta tectaue servantur et ad normam Sacrorum Canonum impendantur, sequentia monemus ac statuimus.

875. Salva semper suprema Romani Pontificis auctoritate, Episcopi sunt primi rerum Ecclesiasticarum administratores eorumque auctoritati et vigilantiae subditi debent quotquot ex iure, vel fundatione, aut synodali statuto curam earum gerunt. Ad ipsos itaque spectat

regulas praefinire, iuxta quas, pro locorum circumstantiis, administratio ipsa recte ac fructuose procedat, tum quoad personas quibus committitur, tum quoad modum in gestione servandum.

876. Administratio tamen bonorum Ecclesiae Cathedralis ad Episcopum simul et Capitulum pertinet, ita ut nec Episcopus sine consensu Capituli nec Capitulum sine consensu Episcopi, aliquid statuere aut mutuo consensu statuta mutare valeat. Sed Episcopus potest facere sibi exhibere libros Capitulares, in quibus apparent administrationes tam reddituum Capituli, quam aliorum piorum operum eisdem incumbendum, et etiam ipsos libros deferri ad proprium palatium, ad revidendos sive per se, sive per alias personas sibi bene visas.

877. Omnibus administratoribus, tam ecclesiasticis quam laicis fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, et quorumcumque piorum locorum, ex Concilii Tridentini praescripto, obligatio incumbit administrationis suae proprio Ordinario quotannis rationem reddendi.

878. Summa vigilantia curent Episcopi, ne, ex quocumque pretextu, pereundi periculo exponantur ecclesiarum redditus, regulas pro sua prudentia, et iuxta locorum adiuncta, statuendo pro illorum custodia et administratione.

879. Si bona aut redditus alicui ecclesiae donata fuerint ea lege, ut ad determinatos usus impendantur, aut cum certis oneribus; mandamus ecclesiarum rectoribus et administratoribus, ut piorum donantium voluntates fidelissime exequantur, salvis iuribus Episcopi, et omnia documenta accurate custodiantur, ut de exacta onerum satisfactione annuam rationem reddere possint.

880. Omnes confraternitatum vel reddituum ecclesiasticorum administratores noverint, sibi nefas esse quamcumque pecuniae summam mutuo dare, illaque in proprium aut propinquorum commodum uti. Ad laborandum quoque ipsis erit, non modo ne res ipsae detrimentum patiantur, sed ut, pro earum conditione et natura, incrementum percipiant.

881. Parochis, ecclesiarum rectoribus et administratoribus quibuscumque praecipimus, ut bona mobilia pretiosa sive ratione sui, sive ratione artis, vel antiquitatis, ad ecclesias pertinentia, necnon documenta quae ad ea referuntur, ita caute servant et custodiant, ut nullum dispersionis aut amissionis periculum timeatur. Caveant proinde ad id obtinendum, ne nimia facilitate mercatoribus, seu aliis sub specie optimarum artium, vel rerum antiquarum studii, res pretiosas exhibeant. Imagines quoque argenteas, annuli et alia huiusmodi pretiosa dona, quae fiant voti vel pietatis causa, nec removeri, nec mutari, nec vendi possunt sine debita licentia, servatisque canonicis praescriptionibus, et pretium, in casu ex venditione receptum, in nullum usum expendatur, quin probatum fuerit.

876. Ut quantum fieri potest, omnis occasio auferatur suscitandae litis, praesertim in casu decessus e vita, curam gerat Episcopus ut elenchus unus quam maxime exactus rerum omnium quae sunt ipsius, ut bona patrimonialia, etc., et alter rerum quae pertinent Ecclesiae, conficiantur. Dein, tempore utili faciat testamentum, in quo clare et forma legali de singulis bonis statuatur.

877. Praecipimus ut Parochi et Rectores ecclesiarum et bonorum Ecclesiae Procuratores similiter singulis annis conficiant duplicem elenchum, et quidem

rerum Ecclesiae in duplo, conservando exemplar unum in archivio parochiali, alterum remittendo ad archivium Episcopi. Testamentorum etiam tempestive confectio- nem non omittant.

884. Parochi aut Cappellani ecclesiarum non absque venia Episcopi novas constructiones suscipiant, ac multo minus licet eis in hunc finem alieno aere se gravare, aut vendere ex mobilibus Ecclesiae, praesertim pre- tiosis, nisi licentia obtenta, iuxta Sacrorum Canonum sanctiones; Episcopi autem erit peritum designare, qui consilio suo adsit in hisce, maxime quoad constructio- nes novas.

885. Collectores decimarum, Oeconomi (*Mayordomos*) et ceteri omnes, qui aliquo modo res Ecclesiae administrandi curam habent, de hisce bonis librum ra- tionum habeant, quo constet de fideli administratione.

Muy Apreciable
Sr. Presb. D.

Gabino Chávez,
(El Segun Abesci -cano)
en el dia San gratopara él.

Matatlan (Zapotlanajo), feb. 19
Presb. José Ysabel Flores

Veritas et Iustitia

PARS IV.

DE IURE

886. Sicut in tribus partibus nostrae Synodi prae- cedentibus, quaedam tantum de Dogmate, quaedam de Moribus et quaedam de Disciplina delibata sunt, ita etiam, hac in Parte Quarta nostri Concilii, quaedam solummodo circa Ius brevissime expendemus. - Iuris autem materia circa quam Coetus huius Patres aliquid praecipere cogitamus, unice sunt Ecclesiastica Iudicia.

887. Quanti vero ponderis in iisdem Iudiciis omnia exacte determinare, nemini non patet: in mundo quippe cum sit principatus duplex a Deo institutus, ecclesia- sticus videlicet ac saecularis, duplex pariter et iudiciaria potestas, et duplicia sunt iudicia; et cum huiusmodi potestates a Deo sint sapienter ordinatae, unicuique certum causarum genus competit, quas sine usurpa- tione, arrogare sibi nequit potestas, cui non fuerint attri- butae ideoque et iudicia differentia differenter agenda sunt.

CAPUT UNICUM.

De Iudiciis et poenis.

888. In omnibus causis matrimonialibus fideliter ser- ventur sapientissimae praescriptiones Benedicti XIV in Const. *Dei miseratione* et Instructiones S. C. Concilii, 22 Aug. 1840.

rerum Ecclesiae in duplo, conservando exemplar unum in archivio parochiali, alterum remittendo ad archivium Episcopi. Testamentorum etiam tempestive confectio- nem non omittant.

884. Parochi aut Cappellani ecclesiarum non absque venia Episcopi novas constructiones suscipiant, ac multo minus licet eis in hunc finem alieno aere se gravare, aut vendere ex mobilibus Ecclesiae, praesertim pre- tiosis, nisi licentia obtenta, iuxta Sacrorum Canonum sanctiones; Episcopi autem erit peritum designare, qui consilio suo adsit in hisce, maxime quoad constructio- nes novas.

885. Collectores decimarum, Oeconomi (*Mayordomos*) et ceteri omnes, qui aliquo modo res Ecclesiae administrandi curam habent, de hisce bonis librum ra- tionum habeant, quo constet de fideli administratione.

Muy Apreciable
Sr. Presb. D.

Gabino Chávez,
(El Segun Abesci -cano)
en el dia San gratopara él.

Matatlan (Zapotlanajo), feb. 19
Presb. José Ysabel Flores

Veritas et Iustitia

PARS IV.

DE IURE

886. Sicut in tribus partibus nostrae Synodi prae- cedentibus, quaedam tantum de Dogmate, quaedam de Moribus et quaedam de Disciplina delibata sunt, ita etiam, hac in Parte Quarta nostri Concilii, quaedam solummodo circa Ius brevissime expendemus. - Iuris autem materia circa quam Coetus huius Patres aliquid praecipere cogitamus, unice sunt Ecclesiastica Iudicia.

887. Quanti vero ponderis in iisdem Iudiciis omnia exacte determinare, nemini non patet: in mundo quippe cum sit principatus duplex a Deo institutus, ecclesia- sticus videlicet ac saecularis, duplex pariter et iudiciaria potestas, et duplicia sunt iudicia; et cum huiusmodi potestates a Deo sint sapienter ordinatae, unicuique certum causarum genus competit, quas sine usurpa- tione, arrogare sibi nequit potestas, cui non fuerint attri- butae ideoque et iudicia differentia differenter agenda sunt.

CAPUT UNICUM.

De Iudiciis et poenis.

888. In omnibus causis matrimonialibus fideliter ser- ventur sapientissimae praescriptiones Benedicti XIV in Const. *Dei miseratione* et Instructiones S. C. Concilii, 22 Aug. 1840.

889. Quando agitur tantum de matrimonio rato et non consummato, praevia licentia S. Sedis diiudicando, ad dispensationem obtinendam, prae oculis habeatur declaratio eiusdem S. C. Concilii, 16 Iun. 1894 in *Varsavien.*

890. Rigor autem citatae Const. Benedicti XIV remitti potest in casibus tantum a S. Officio designatis die 6 Iun. 1889.

891. In causis clericorum, Episcopi aliique iudices ecclesiastici diligenter servare curent Instructionem S. C. Episcoporum et Regularium 11 Iun. 1880.

892. Quoad appellationes, prae oculis habeantur et fideliter serventur Constitutiones Benedicti XIV *Ad militantis Ecclesiae* 30 Martii 1742 [et *Trans Oceanum Leonis XIII*, 18 Apr. 1897].

893. In causis quae respiciunt Const. Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae*, secretum inviolabiliter servandum est omniaque peragenda ad normam Instructionum 20 Febr. 1867, 20 Iul. 1890 [et 6 Aug. 1897].

894. Circa suspensiones *ex informata conscientia* Episcopi aliique Ordinarii prae oculis habeant et accurate servent normas a S. C. de Propaganda Fide editas die 20 Oct. 1884.

895. In *Collectanea S. C. de Prop. Fide* varia habentur documenta ad rem facientia, quae iudicium ecclesiasticorum memoriae et studio commendamus.

LAUS DEO ET B. M. V. IMMACULATAE
SUB TITULO DE GUADALUPE
MEXICANAE NATIONIS PATRONAE

FINIS.

INDEX

ACTA CONCILII.

APPROBATIO APOSTOLICA CONCILII GUADALAXARENSIS PRIMI	IX
DECRETUM PROMULGATIONIS CONCILII GUADALAXARENSIS PRIMI.	XI

ACTA CONCLUSIONIS CONCILII.

DECRETUM I. De huius Concilii Decretorum subscriptione.	XIII
DECRETUM II. De conclusione Synodi	XIII
DECRETUM III. De Promulgatione Decretorum	XIV
DECRETUM IV. De dubiorum solutione	XIV
DECRETUM V. De Concilii III Mexicani derogatione.	XIV
DECRETUM VI. De omnimoda subiectione Concilii S. Sedis iudicio.	XV

DE CONSECRATIONE TOTIUS PROVINCIAE GUADALAXARENSIS CORDI DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI SACRATISSIMO.

Decretum et Formula	XV
-------------------------------	----

889. Quando agitur tantum de matrimonio rato et non consummato, praevia licentia S. Sedis diiudicando, ad dispensationem obtinendam, prae oculis habeatur declaratio eiusdem S. C. Concilii, 16 Iun. 1894 in *Var-savien.*

890. Rigor autem citatae Const. Benedicti XIV remitti potest in casibus tantum a S. Officio designatis die 6 Iun. 1889.

891. In causis clericorum, Episcopi aliique iudices ecclesiastici diligenter servare curent Instructionem S. C. Episcoporum et Regularium 11 Iun. 1880.

892. Quoad appellationes, prae oculis habeantur et fideliter serventur Constitutiones Benedicti XIV *Ad militantis Ecclesiae* 30 Martii 1742 [et *Trans Oceanum Leonis XIII*, 18 Apr. 1897].

893. In causis quae respiciunt Const. Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae*, secretum inviolabiliter servandum est omniaque peragenda ad normam Instructionum 20 Febr. 1867, 20 Iul. 1890 [et 6 Aug. 1897].

894. Circa suspensiones *ex informata conscientia* Episcopi aliique Ordinarii prae oculis habeant et accurate servent normas a S. C. de Propaganda Fide editas die 20 Oct. 1884.

895. In *Collectanea S. C. de Prop. Fide* varia habentur documenta ad rem facientia, quae iudicium ecclesiasticorum memoriae et studio commendamus.

LAUS DEO ET B. M. V. IMMACULATAE
SUB TITULO DE GUADALUPE
MEXICANAE NATIONIS PATRONAE

FINIS.

INDEX

ACTA CONCILII.

APPROBATIO APOSTOLICA CONCILII GUADALAXARENSIS PRIMI	IX
DECRETUM PROMULGATIONIS CONCILII GUADALAXARENSIS PRIMI.	XI

ACTA CONCLUSIONIS CONCILII.

DECRETUM I. De huius Concilii Decretorum subscriptione.	XIII
DECRETUM II. De conclusione Synodi	XIII
DECRETUM III. De Promulgatione Decretorum	XIV
DECRETUM IV. De dubiorum solutione	XIV
DECRETUM V. De Concilii III Mexicani derogatione.	XIV
DECRETUM VI. De omnimoda subiectione Concilii S. Sedis iudicio.	XV

DE CONSECRATIONE TOTIUS PROVINCIAE GUADALAXARENSIS CORDI DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI SACRATISSIMO.

Decretum et Formula	XV
-------------------------------	----

DECRETA CONCILII.

PARS I.
DE DOGMATESECTIO I.
DE FIDE CATHOLICA.

TITULUS I.

DE FIDEI PROFESSIONE 9

TITULUS II.

DE FIDEI CONSERVATIONE 12

Caput I. Quoad Editiones Litterarum et Artium . . . 12

» II. Quoad Laicas Scholas et Neutras 14

» III. Quoad Associationes Prohibitās et Periculosas
et Communicationem cum acatholicis . . . 15

» IV. Quoad Superstitiones 16

TITULUS III.

DE FIDEI AMPLIATIONE 18

Caput I. De verbi divini praedicatione 19

§ I. De praedicatione ad populum in genere . . . 20

§ II. De cathechesibus ad pueros et rudes 24

§ III. De concionibus ad coetus excultos 29

§ IV. De missionibus apud fideles excultos 31

§ V. De missionibus apud Indos incultos provinciae
nostrae 33

Caput II. De iuventutis christianae institutione . . . 35

§ I. De iuventutis educandae christianae magno mo-
mento 36

§ II. De iuribus Ecclesiae in iuventutis institutione . 37

§ III. De officiis Episcoporum, Parochorum et fidelium
quae ad iuventutis educationem pertinent. . . 40

A) Quoad Episcopos 40

B) Quoad Parochos 42

C) Quoad fideles 42

§ IV. De catholicarum scholarum gradibus in pro-
vincia. 44

A) Quoad Scholas Primarias 45

B) Quoad Scholas Praeparatorias sive Lycea . . . 49

C) Quoad Scholas Normales 50

D) Quoad Instituta Professionalia 52

Caput III. De Associationibus catholicis 54

» IV. De catholico prelo 57

§ I. De prelo catholico fovendo 58

§ II. De servandis a scriptoribus catholicis. . . . 63

SECTIO II.

DE ECCLESIA CHRISTI.

TITULUS I.

DE ECCLESIAE NATURA ET CONSTITUTIONE 68

TITULUS II.

DE SUMMO PONTIFICE 70

TITULUS III.

DE SACRIS CONGREGATIONIBUS S. ECCLESIAE ROMANAE. 72

PARS II.
DE MORIBUS

SECTIO I.
DE MORIBUS CLERI.

TITULUS I.

DE CLERI PERFECTIONE.	76
Caput unicum. De vita et honestate Clericorum	77
§ I. De clericali castimonia	78
§ II. De temperantia esus et potus	79
§ III. De negotiatione Clericis prohibita	80
§ IV. De avaritia fugienda	82
§ V. De spectaculis a Clero vitandis	82
§ VI. De armis a Clericis non portandis	83
§ VII. De venatione a Clericis vitanda	84
§ VIII. De lusibus	84
§ IX. De caritate cum fratribus	84
§ X. De tonsura et veste clericali	86

TITULUS II.

DE MEDIIS SACERDOTALEM PERFECTIONEM ACQUIRENDI	87
Caput I. De Oratione	88
» II. De Sacrosancto Missae sacrificio	89
» III. De Officio Divino persolvendo.	92
» IV. De Exerctiis spiritualibus	93

TITULUS III.

DE SACERDOTALI SANCTITATE	94
Caput I. De sacerdote seipsum sanctificante	95
» II. De sacerdote alios sanctificante	96

SECTIO II.
DE MORIBUS POPULI.

TITULUS I.

DE FESTIS DIEBUS SERVANDIS.	100
Caput I. De festivorum dierum numero.	101
» II. De modo quo festa colantur	102

TITULUS II.

DE IEIUNIO ET ABSTINENTIA	104
Caput I. De ieiunio	104
» II. De abstinentia	105

PARS III.
DE DISCIPLINA

SECTIO I.

DE HIERARCHIA.

SUBSECTIO I.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS	109
--------------------------------------	-----

TITULUS I.

DE ROMANO PONTIFICE.	110
------------------------------	-----

TITULUS II.

DE METROPOLITA	112
--------------------------	-----

Acta et Decreta.

TITULUS III.

DE EPISCOPIS 114

TITULUS IV.

DE VICARIIS FORANEIS 116

TITULUS V.

DE PAROCHIS 118

TITULUS VI.

DE VICARIIS PAROCHIALIBUS 120

TITULUS VII.

DE CAPPELLANIS 122

TITULUS VIII.

DE CAETERIS CLERICIS 123

TITULUS IX.

DE REGULARIBUS ET DE INSTITUTIS VOTORUM SIMPLICIUM. 124

SUBSECTIO II.


DE COETIBUS CHRISTIANIS 125

TITULUS I.

DE CONCILIO PROVINCIALI. 125

TITULUS II.

DE SYNODO DIOECESANA 127



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

TITULUS III.

DE CAPITULIS 129

Caput I. De Ordine Sacro in Beneficiariis Capitulum. 130

» II. De muneribus Beneficiorum in Provincia huius Capitulis. 130

TITULUS IV.

DE SEMINARIIS. 131

Caput I. De conformitate Seminariorum in Provincia cum regulis tridentinis et inter se . . . 132

» II. De Seminariorum Constitutione in Provincia. 133

TITULUS V.

DE PAROCHIIS EARUMQUE REGIMINE 137

Caput I. De praecipuis Obligationibus Parochorum. . 137

» II. De iuribus Parochorum 140

TITULUS VI.

DE NOSOCOMIIS, ORPHANOTROPHIIS ATQUE HOSPITIIS. . 142

Caput I. De Nosocomiis. 143

» II. De Orphanotrophiis atque Hospitiis. 144

SECTIO II.

DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS. ®

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI 145

Caput I. De Sacramentorum dignitate ac necessitate . 146

» II. De Ministro Sacramentorum 146

» III. De rituali administratione Sacramentorum . 147

TITULUS II.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE	148
Caput I. De Baptismo.	148
§ I. De necessitate Baptismi	149
§ II. De materia et forma Baptismi.	149
§ III. De his qui baptizari possunt ac de dispositio- nibus ad Baptismum recipiendum	150
§ IV. De Baptismi sacramenti ministro	152
§ V. De tempore et loco ad Baptismum ministran- dum	153
§ VI. De Patrinis in baptisate adhibendis	154
§ VII. De Sanctis Oleis, aliisque rebus quae in Bapti- smate adhibentur	155
Caput II. De Confirmatione	156
§ I. De subiecto et ministro Confirmationis	157
§ II. De Confirmationis Patrinis	157
§ III. De tempore, dispositionibus ac ritibus Confir- mationis	158
Caput III. De Sacrosancto Eucharistiae Sacramento	158
§ I. De SS. Eucharistiae usu.	159
§ II. De Sanctissima Eucharistia ut est Sacrificium.	161
Caput IV. De Poenitentiae Sacramento	163
§ I. De dispositionibus ad Poenitentiam necessariis.	164
§ II. De Poenitentiae ministro.	164
§ III. De casuum reservatione	166
Caput V. De Extrema Unctione.	167
§ I. De Extremae Unctionis materia et forma	168
§ II. De Extremae Unctionis effectibus ac de su- biecto eam accipiente	168
§ III. De Extremae Unctionis ministro	169
Caput VI. De Ordinis Sacramento	170
§ I. De Ordinationis ministro	171
§ II. De qualitatibus ad ordines suscipiendos requi- sitis	172
Caput VII. De Matrimonii Sacramento	173
§ I. De unitate Sacramenti Matrimonii	174

§ II. De clandestinis coniugiis.	175
§ III. De Parocho qui ad validitatem Matrimonii adesse debeat	176
§ IV. De inquisitione matrimoniali ac denuntiatio- nibus faciendis	177
§ V. De dispositionibus matrimonium contrahentium, ac de benedictione nuptiali.	178
Caput VIII. De Sacramentalibus	180
§ I. De natura et numero sacramentalium	180
§ II. De sacramentalium usu et applicatione	181

SECTIO III.

DE CULTU DIVINO.

TITULUS I.

DE CULTU GENERATIM SUMPTO	184
-------------------------------------	-----

TITULUS II.

DE MISSAE SACRIFICIO	187
Caput I. De Missae celebratione	188
» II. De stipendio Missae.	191

TITULUS III.

DE CULTU SS. EUCHARISTIAE	191
Caput I. De asservatione SS. Sacramenti	192
» II. De expositione SS. Sacramenti	194
» III. De cultu SS. Sacramento exhibendo	197

TITULUS IV.

DE SANCTISSIMO CORDE IESU.	200
------------------------------------	-----

TITULUS V.

DE BEATA MARIA VIRGINE ET CAETERIS SANCTIS.	203
Caput I. De Sanctis in genere	204
» II. De Beata Maria Virgine	206
» III. De Beata Maria Virgine sub titulo de Guadalupe	207
» IV. De Sancto Ioseph.	210

TITULUS VI.

DE SACRIS RELIQUIIS ET IMAGINIBUS	212
Caput I. De Sacris Reliquiis	212
» II. De Sacris Imaginibus	214

TITULUS VII.

DE TEMPLIS ET ORATORIIS	216
Caput I. De Templis	216
§ I. Quoad erectionem Templorum.	216
§ II. Quoad Altaria	217
§ III. Quoad Sacristiam	219
Caput II. De Oratoriis	220
» III. De violatione sacrorum locorum	220

TITULUS VIII.

DE CANTU ECCLESIASTICO ET MUSICA SACRA	221
--	-----

TITULUS IX.

DE NITORE ET MUNDITIA SACRAE SUPPELLECTILIS	222
---	-----

TITULUS X.

DE ECCLESIARUM FAMULIS.	224
---------------------------------	-----

SECTIO IV.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

TITULUS I.

DE IURE ECCLESIAE BONA POSSIDENDI.	226
--	-----

TITULUS II.

DE BONIS ECCLESIAE MOBILIBUS ET IMMOBILIBUS	227
Caput I. De bonis Ecclesiae mobilibus	228
§ I. A) Quoad Decimas	228
B) Quoad Primitias	229
§ II. De Oblationibus	229
Caput II. De bonis Ecclesiae immobilibus	230


TITULUS III.

DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIAE	231
--	-----

PARS IV.

DE IURE

Caput unicum. De Iudiciis et poenis.	235
--	-----



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX ALPHABETICUS

A

Abstinentia, 105.
Acta conclusionis Concilii, XIII.
Administratio sacramentorum, 129, 147.
Administratio bonorum, 231.
Altaria, 217.
Ampliatio fidei, 18.
Approbatio Concilii, IX.
Aqua lustralis, 182.
Archiepiscopus, 112.
Arma non deferenda, 83.
Associationes catholicae, 54-98.
» prohibitae, 13.
Avaritia fugienda, 82.

B

Baptismus, 148.
Benedictiones, 181.
Beneficiarius, 130.
Bibliothecae erigendae, 59.
Bona ecclesiastica, 226.

C

Cantus ecclesiasticus, 221.
Capitulum, 129.
Cappellani, 122.
Caritas in clericis, 84.
» in scriptoribus, 65.
Castimonia clericorum, 78.
Casuum reservatio, 166.
Catechesis, 24, 97, 139.

Clerici, 123.
Clericorum castimonia, 78.
» habitus et tonsura, 86.
» perfectio, 76-87.
Collectae, 141.
Communicatio cum acatholicis, 15.
Concilium provinciale, 125.
Conciones ad coetus excultos, 29.
Confessarius, 115, 164.
Confirmatio, 156.
Confraternitates, 54, 78, 197, 206, 209.
Congregationes religiosas, 124.
» romanae, 72.
Congressus catholici, 56.
Consecratio S. Cordi Iesu, xv.
Conservatio fidei, 12.
Cor Iesu Sacratissimum, 200.
Cultus divinus, 183.

D

Decimae, 228.
Derogatio Conc. III, Mex. XIV.
Dubiorum solutio, XIV.

E

Ecclesia Christi, 68.
Ecclesiae natura, 68.
Ecclesia quoad institutionem iuventutis, 37.
Editiones litterarum, 12.
Ephemerides, 57.
Episcopus, 114.

Eucharistia, 158, 191.
 Exercitia spiritualia, 93, 99.
 Exorcismus, 182.
 Expositio SSmi Sacramenti, 194.
 Extrema unctio, 167.

F

Famuli Ecclesiarum, 224.
 Festorum elenchus, 101.
 » observatio, 100.
 Fides, 7.

H

Habitus Clericorum, 86.
 Hebdomada Catholica, 61.
 Hospitia, 144.

I

Imagines Sanctorum, 214.
 Indorum cura, 33.
 Instituta professionalia, 52.
 Institutio iuventutis, 35, 139.

J

Jejunium, 104.
 Jesu Cor, 200.
 Joseph (S.), 210.
 Judicia, 235.
 Jura parochorum, 140.
 Juentus instituenda, 35, 139.

L

Librorum impressio, 57.
 Lusus, 84.
 Lycea, 49.

M

Magister Caeremoniarum, 186.
 Maria Virgo, 203, 206.
 Maria SSma de Guadalupe, 207.

Matrimonium, 173.
 Metropolita, 112.
 Minister Sacramentorum, 146.
 Missae Sacrificium, 89, 161, 187.
 Missae adstandi praeceptum, 102.
 Missiones, 31, 33.
 Mores, 75.
 Mores Cleri, 76.
 Mores populi, 100.
 Musica sacra, 221.

N

Normales scholae, 50.
 Nosocomia, 143.

O

Oblationes, 229.
 Officii divini recitatio, 92.
 Officia Episcoporum, 40.
 » Fidelium, 42.
 » Parochorum, 42.
 Olea sancta, 117, 155.
 Opera servilia in festis, 103.
 Opificum associationes, 56.
 Oratio Clericorum, 88.
 Oratoria, 220.
 Ordinationes Clericorum, 114.
 Ordinis Sacramentum, 170.
 Orphanotrophia, 144.

P

Parochia, 137.
 Parochorum iura, 140.
 Parochus, 115, 118, 137, 176, 205,
 211, 213.
 Patrini, 154, 157.
 Perfectio cleri, 76, 87.
 Personae ecclesiasticae, 109.
 Poenae, 235.
 Poenitentiae sacramentum, 96, 163.
 Pontifex summus, 70, 110.
 Praedicatio verbi divini, 19, 97, 198,
 202, 207, 209.

Praeparatoriae scholae, 49.
 Prelus catholicus, 57.
 Prima communio, 96.
 Primariae scholae, 45.
 Primitiae, 229.
 Professio fidei, 9.
 Promulgatio Concilii, xi.
 Publicationes matrimonii, 177.

Q

Quadraginta Horarum expositio,
 196.

R

Redactores ephemeridum 63, 66.
 Refutatio errorum, 65.
 Regimen parochiarum, 137.
 Regulares, 124.
 Reliquiae, 212.
 Reservatio casuum, 166.
 Romanae Congregationes, 72.
 Romanus Pontifex, 70, 110.

S

Sacerdos seipsum sanctificans, 95.
 Sacerdos alios sanctificans, 96.
 Sacramentalia, 180.
 Sacramentorum administratio, 139,
 147.
 Sacramentum in communi, 145.
 Sacramentum ordinis, 170.
 » poenitentiae, 98, 163.
 Sancti, 204.
 Scholae catholicae, 44, 99.
 » laicae et neutrae, 14, 36.
 » normales, 50.

Scholae praeparatoriae, 49.
 » primariae, 45.
 » scriptorum ephemeridum,
 62.
 Scriptores catholici, 63, 66.
 Seminarium, 131, 199, 201.
 Societates catholicae, 54, 98.
 Spectacula a clero vitanda, 82.
 Spiritualia exercitia, 94, 99.
 Stipendium missae, 191.
 Suffraganeus, 114.
 Summus Pontifex, 70, 110.
 Supelectilis, 222.
 Superstitiones, 16.

T

Temperantia, 79.
 Templorum decoratio, 185.
 » erectio, 216.
 » restauratio, 186.

U

Unctio extrema, 167.

V

Venatio, 84.
 Verbi divini praedicatio, 19, 97, 198,
 202, 207, 209.
 Vicarius Christi, 70, 110.
 » foraneus, 116.
 » parochi, 119, 120.
 Violatio sacrorum locorum, 220.
 Visitatio Dioeceseos, 115.
 » S. liminum, 116.
 Vita Clericorum, 77.

